



OBSERVATIONES  
IVRIS ROMANI ATQVE GERMANICI IN DOCTRINA  
DE SERVIS  
PRAEPRIMIS EORVM DEFINITIONE

---

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

DIE X. DEC. A. O. R. MDCCLXV.

H. L. Q. C.

PRO SVMMIS  
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE OBTINENDIS

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
CAROLVS AVGVSTVS SCHLOCKWERDER

LOEBA LVSAT.

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



ss. jur. civ.

75, 78

*D. J. G. Vol. 203*



V I R O  
ILLVSTRISSMIO EXCELLENTISSIMOQVE  
DOMINO  
DOMINO  
HIERONYMO FRIEDRICO  
AB STAMMER  
DYNASTAE IN PRIETIZ ETC.  
PROMARCHIONI LVSATIAE SVPERIORIS,  
SERENISSIMI DVCIS SAXONIAE ELECTORIS  
SACRI PALATII ET SANCTIORIS CONSISTORII  
COMITI, SVPREMI REGIMINIS CANCELLARIO NEC  
NON REVERENDI CAPITVLI MISENENSIS  
CANONICO

DOMINO ATQVE PATRONO  
INDVLGENTISSIMO.



V I R  
ILLVSTRISSIME EXCELLENTISSIME  
SVMME REVERENDE  
PATRONE INDVLGENTISSIME

**S**cribendi periculum faciens, dubius, vtrum  
et meo vili adhuc libello omnique littera-  
rum, quae ab humanitate nomen ha-  
bent, ornatu, destituto, **ILLVSTRISSIMVM**  
**TVVM** praeponerem **NOMEN**, quae enim pie-  
tas, quae obseruantia, quae denique subiectio, qua  
laetus fuor, suadebat, scripti tenuitas, non solum  
recusare, sed et **TVA** dignitas, qua polles subli-  
mi, ansum reprehendere videbatur. At cum re-  
cordarer, quod, quo quis sit doctior sapientiorue,  
ea maiori beneficentia clientibus aperiat aditum,  
mendaque naeuosue frequentes, qui primas lineas,  
\* 3 \*  
quas

quas tirones componunt, vitiare solent, exuset, repente timorem abiecti, hancque **TIBI VIR ILLVSTRIS-  
SIME**, dissertationem dicaui. De **TVA** enim sapientia, qua regere soles, Lusatia gloriatur, nec Saxonia eam silentio excipit. Litterarum vero eruditionem et elegantiam, quae **GENEROSISSIMAM TVAM GENTEM** nova auget nobilitate, ne aduenae quidem ignorant. **TVAE** itaque clementiae atque memoriae, hunc, quem sacrum **TIBI** esse iubeo, commendo libellum, meque **TVAE** tutelae in perpetuum trado. Hac sola fretus, nihil eam superabit pietatem, qua **TE** veneror, et obseruantiam qua **TE** ad cineres usque persecuturus, continuam **TIBI** adoptat prosperitatem

**ILLVSTRISIMO TVO NOMINI**


Scripsi Wittenbergae  
die XXV. Nouembr.  
MDCCLXV.

**ADDICTISSIMVS  
AUCTOR.**





OBSERVATIONES  
IVRIS ROM. ET GERM. IN DOCTRINA  
DE SERVIS  
PRAESERTIM EORVM DEFINITIONE.



§. I.

*Instituti ratio.*



um lege mihi scribendi necessitas iniuncta esse videretur, incertus, quo pedem figerem, haerebam, actus enim ratio Latium, patriarum autem legum favor, has pro viribus appetere suadebat. Vtriusque ita rationis praesentia commotus, materiam quandam pertractandam constitui, inter vtrumque ius quasi fluctuantem et a multis quidem adhuc, sed nescio, an satis accurate expositam. De definitione servorum imprimis, quos aluit et adhuc alit Germania, mihi differendi animus est, qui summorum certe virorum ingenia mirum in modum exercuerunt, quorumque conditionem iura et obligationes immensa fere volumina veterum atque recentiorum Ictorum tradunt. Sed reprehensionis dignus et arrogantiae arguendus fortasse videor, cum, si qua, exigua tamen legum notitia

A imbu-



imbutus, rem omnibus numeris iam absolutam et absolutissimis commentariis, inter quos seruos ex indole germanica describens POTTGIESSER<sup>a)</sup> et ESTOR<sup>b)</sup>, ex romana autem PIGNORIVS<sup>c)</sup> primum mihi videtur tenere locum, illustratam, iuuenili calamo describam, vel id, quod doctissimi non praestiterunt viri, praestare coner; ita dici posset, sed cum vel maxime claros hos iurium interpretes ipse secutus, imprimis vero quaestionibus ab his omissis, vel ab eorum aduersariis, quos post mortem nacti sunt, labefactis, operam adnauaturus sim, praeterea si et nostra sententia in nonnullis causis ab eorum recederet placitis, idem nobis, quod olim Labeoni aduersus Augustum in senatu dicenti, quemlibet suum habere oportere iudicium, contra hos liceat, causam, quae nos, adiectis quibusdam dissertationi quaestionibus controversis, thema, nisi nos omnia fallunt, a nemine adhuc sigillatim pertractatum, iuris et patrii praeprimis rationibus accommodatum, multisque decidendis litibus idoneum, illustrantes, rigidae censoriae notae subiiceret, non peruideo. Quamuis vero praesertim seruorum definitionem, ex legibus patriis, quantum vires permittunt, explicandam, atque in ordinem redigendam curemus, CAIO<sup>d)</sup> tamen, his verbis: *Facturus, legum veterum interpretationem, necessario prius ab urbis initiis repetendum existimaui: non quia velim verbosos commentarios facere, sed quod in omnibus rebus animaduerto, id perfectum esse, quod ex omnibus suis partibus constaret et certe cuiusque rei potissima pars, principium est etc.* et POMPONIO, cui necessarium videtur, ipsius Iuris originem atque processum demonstrare, adhortanti obsequium denegare nequeo. Ego itaque inuestigatis iuris, et seruorum conditionis, si quae sint fragiles, rationibus, iisque praecipue, quibus definitio-

a) POTTGIESSER de Statu Seruorum. Lemgo 1736.

b) ESTOR. in tr. de Ministerialibus. Argent. 1727. et in Specim de hom. propriis in eius *kleinen Schriften*, et Praefat. ad Grollmanni trig. Disp. de operarum debit. mutatione.

c) PIGNORIVS de seruis eorumque ministeriis. Patauii 1656.

d) CAIUS in leg. I. π. de Orig. Iuris.



nis indoles atque natura nititur, idoneis et firmis suffulcitis argumentis, ab aliis autem iam satis probatis breuiter allegatis, conclusiones quasdam ex praemissis profluentes expositurus; nostram autem sententiam et magnum in foro praestare usum, demonstraturus sum.

§. II.

*Variae DD. sententiae, et nonnullae causae, quae dissensui ansam prae-  
buerunt, recensentur.*

Quanta etiam olim antiquis reipublicae romanae temporibus Proculeianorum et Sabinianorum fuerit discordia, quoue studio quisque suae, cui se mancipauerat sectae, defenderet decidendi rationes, tantus tamen, qualis se nobis in doctrina de seruis Germaniae, eorum iuribus et obligationibus, imprimis de eorum hodierna indole offert Ictorum dissensus, nullibi inuenitur. Iam vero de illius primariis causis, et exinde profluentibus erroribus, nec non de diuersis sibi inuicem repugnantibus DD. opinionibus dicendi locus occurrit. Prima eaque primaria causa, in nimio iuris romani studio, neglectis consuetudinibus et legibus patriis et vtriusque tam iuris romani quam germanici commixtione, ponenda videtur. Si enim, qui cum Labeone teste GELLIO<sup>e)</sup> nihil ratum pensumque habebant, nisi quod iustum sanctumque esse in antiquitatibus romanis legissent, mentem ad seruorum germaniae negotia, illorum tam iura quam obligationes et statum concernentia admouentes, iuris rom. circa seruos dispositiones, nullo plane modo ad seruos germ. quadrare, intelligebant, nullibi enim hos, in classem rerum expressis verbis relatos inueniebant, condebant testamenta, celebrabant contractus et pacta, contrahebant nuptias, suos regebant lares etc. patrii itaque iuris ignari, doctrinam de adscriptitiis et colonis acciebant, inter quos agmen ducit

A 2

H V S A N,

e) GELLIVS Noct. Atticis lib. XIII. Cap. 12.



HVSAN<sup>f</sup>), STRVV<sup>g</sup>), VAN DER LINDE<sup>h</sup>), hosque eorum similes iudicantes, omnia ex principiis iuris romani decidebant, quale illustre exemplum exhibet REITER<sup>i</sup>), qui autoritate leg. 10. Cod. de liber. caus. arbitratur, pactum quo quis se in seruitutem abiiceret non valere, quod non solum expressis patriae legibus antiquis et recentioribus sed et obseruantiae et experientiae refragatur. Immo cum RITTERSHVSIO<sup>k</sup>), maiori potest affirmari probabilitate, nos hominibus adscriptitiis, quales fuerunt apud romanos, plane non uti. Alii, clericali istius seculi innutriti superstitione, seruitutem christianorum statui noxiam et indecoram iudicantes, eam plane hac inducti ratione abrogatam censent; cui sententia inter ceteros fauent CONRING<sup>l</sup>), BODINVS<sup>m</sup>), GVDELINVS<sup>n</sup>), et qui hos sequitur STRYCK<sup>o</sup>), at si paulo accuratius ecclesiae statum a statu ciuitatis secernere, iurisque publici vniuersalis atque ecclesiastici praecepta adhibere didicissent, quamquam et hos temporum illorum rationem habens, excusare magis quam reprehendere vellem, et nihil plane, quominus quis se in statu ciuitatis pro seruo et domino, in ecclesia autem pro fratre et socio gerat, impedire, intellexisse, arbitror. Exinde vero nata mihi videtur altera sententia, quae Germaniae seruos libertis annummerat, et quam defendit SICHARD<sup>p</sup>), teste LEISERO<sup>q</sup>), SCHILTER<sup>r</sup>) et alii, quibus omnibus, erudite

f) HVSAN tr. de Hominibus propriis.

g) GEORG. AD. STRVV. Syntag. Iprud. Ciuil. Exercit. III. Th. 23. ibique allegat. auctores.

h) IOH. ERNST VAN DER LINDE diff. de vindicatione hom. propr. eiusque praescriptione. Cap. I. num. 4.

i) ANDREAS REITER tr. de Alienationibus Cap. III. Sect. IV. num. 6.

k) RITTERSHVSIVS in Iure Iustiniano Part. V. Cap. 12. in fin.

l) CONRING Coment. de Imp. germ. Urbibus §. 81. pag. m. 53.

m) BODINVS tr. de Republ. lib. I. Cap. 5.

n) GVDELINVS tr. de Iure nouissimo. lib. I. Cap. 4.

o) STRYCK Select. Controvers. π. Disp. I. Th. 19. et 20. et Disp. XVII. Th. 37.

p) SICHARD ad l. 5. Cod. de negot. gest.

q) LEISER Iure Georgico Lib. II. Cap. 7 n. 8.

r) SCHILTER Prax. Iur. rom. in foro Germ. Exercit. III. §. 5.



dite vt solet respondit ill. BOEHMER<sup>s)</sup>). Alteram autem errori causam dedit, neglecta vndique hominorum priorum seu seruatorum et rusticorum, ex quibus quidam glebae adscripti ex sensu iuris Germanici dici possunt, distinctio, sic vt et ii qui alias non modicam huic disciplinae operam impenderunt, vt VAN DER LINDE<sup>t)</sup>, BALTHASAR<sup>u)</sup>, et alii, in decidendis tamen quaestionibus diuina quasi mixta humanis in medium proferant, cumque saepe aliud de his aliud de illis dicendum sit, dum hi tanquam possessores glebae parent, illi vero corpore dominis obnoxii sunt, mirum in modum fallant et fallantur. Accesserunt dein variae Germaniae vicissitudines, et ipsius seruitutis immutationes, quibus partim expeditiones cruciatae, quas late exposuit illustr. BOEHMER<sup>x)</sup> largam praebuerunt manum, ita vt non solum praediorum possessores praedia sua seruis spoliata liberis hominibus sub certis conditionibus illaesa tamen libertate committere sed et recte annotante POTTGIESSERO<sup>y)</sup> metu, ne omnes effugerent serui, multa iis indulgere, variaque remittere tenerentur. Partim manumissiones conditionatae, de quibus, abunde egit Consult. POTTGIESSER<sup>z)</sup> ordineque chronologico ab antiquissimis temporibus ad nostra vsque progressus est. Partim et seditiones a seruis interdum spe libertatis vel recuperandae, vel occupandae ortae, qualem et Seculo IX. Lothario instigante in Saxonia accidisse laudatus auctor obseruauit<sup>a)</sup>. Partim denique et ius a nonnullis imperatoribus, ciuitatibus quibusdam concessum, ab aliis autem

A 3

vindi-

- s) BOEHMER de Iure et Statu hom. prop. a seruis Germ. non Rom. deriuando Sect. II.  
t) VAN DER LINDE loc. cit.  
u) BALTHASAR Disp. III. de origine Stata et Condit. hom. propr. in Pommerania, nec non in Disp. de Iure Hom. prop. in Pommerania.  
x) BOEHMER de varia Iurium innouatione per Expedit. cruce Signat. Cap. II. §. 9. et de libertate imperfecta rusticorum Germ.  
y) POTTGIESSER loc. cit. lib. I. Cap. 3. §. 38.  
z) Idem loc. cit. lib. IV. Cap. VIII.  
a) Idem loc. cit. lib. I. Cap. II. §. 84.



vindicatum, quo dominis vindicationem seruorum, per aliquod temporis spatium in iis commorantium, eorumque exhibitionem denegabant, quodue Francofurti <sup>h)</sup>, Iure Magdeburgico <sup>c)</sup>, Saxonico <sup>d)</sup>, Lubecensi <sup>e)</sup>, aliisque imperii ciuitatibus, quas sedulo annotauit LINDE <sup>f)</sup> obtinuit. Nollem tamen cum quibusdam ICTis affirmare, hoc ius priscis Germaniae temporibus, et statim ab urbium origine processisse, contrariae magis adstipulatur sententiae CAROLVS M. <sup>g)</sup>. *Vbicunque, enim inquit, intra Italiam siue regius siue ecclesiasticus vel cuiuslibet alterius hominis, seruus fugitiuus inuentus fuerit, a domino sine vlla annorum praescriptione vindicetur ea tamen ratione, si dominus Francus siue Alemannus, aut alterius cuiuslibet nationis.* Quod et lex WISIGOTHORVM <sup>h)</sup>, LONGOBARDORVM <sup>i)</sup>, et Constitutio CHILDEBERTI <sup>k)</sup>; nec non LEHMANN <sup>l)</sup> confirmat, qui scripsit, *dass wenn ein Leibeigener Mann oder Weibes - Person aus seinen Dienst ausgetreten, sich in eine Reichs - Stadt oder Flecken eingeschleicht und verborgen gehalten, und er von seinen Herren verkundschaftet, und die Person Mann oder Weib wieder begehret, so haben die Obrigkeiten solche ohne Einrede folgen lassen, ja von den Ort verjaget und ausgestossen, und haben sie wegen solcher Ausflucht ernstliche Straffe bestanden*, Paroemia autem Iur. Germ. *keine Henne flieget über die Mauren* <sup>m)</sup>, et Chronicon Spirense <sup>n)</sup>, nec non consuetudo ne quis in ciuitates reciperetur nisi ostensis tabulis:

- b) Conf. VFFENBACH in Specim. Collat. Iur. rom. et Francofurt. pag. m. 22.  
 c) Ius municipale Magdeburg. Art. IV.  
 d) Specul. Saxon. lib. III. Art. XXXII. §. *mag aber etc.*  
 e) Ius Lubecense lib. I. Tit. III. Art. 3. et Maeuius ad. eund. pag. 134.  
 f) VAN DER LINDE cit. loc. Cap. 3.  
 g) in Capitul. leg. Longobard. addit. Cap. IIX.  
 h) Lex WISIGOTHORVM lib. XII. Tit. II. Cap. 4.  
 i) L. LONGOBARD. lib. II. Tit. 35. §. 14.  
 k) Concil. AVRELIAN. IV. de An. 541. Cap. 32.  
 l) LEHMANN Chron. Spirense lib. II. Cap. 20.  
 m) Conf. HERTIVS de Paroem. Iur. Germ. lib. II. Paroem. XI. Opp. Tom. II.  
 n) LEHMANN loc. cit. lib. II. Cap. 19.



lis: *dass einer ehrlich geboren und keinen Herren mit Leibeigenschaft verwandt, oder der Leibeigenschaft ledig gezeblet, quit und frey, und keinen nachfolgenden Herren habe*<sup>o)</sup>, illustrat; vel adhuc hodie vbicunque vigere; contrariam enim obseruantiam imo manumissos reuocandi ius, quod in Lusatia obtinet, erudite euicit Consult. RICHTER<sup>p)</sup> quam variae Saxonum leges approbant atque corroborant<sup>q)</sup>. Ad vltimam autem immutationis causam singularem refero liberalitatem multorum principum et imperatorum, qua saepe vniuersas regiones, ciuitates, et seruorum ordines, generali manumissione seruitio eximerunt inter quas eminent manumissio Spirensium ab Henrico V. an. MCXI. Wormatiensium a Friderico I. an. MCLXXX. Wertheimensium MDCXXXII. Rauensbergenium et Westphaliae a Friderico rege Borussiae an MDCCII. facta, quae postrema regio tantum concernit seruos non priuatorum, cuiusque integrum Constitutionis Diploma BOEHMER<sup>r)</sup> exhibet, plures autem manumissiones recenset BERG<sup>s)</sup>. Fuerunt et aliae causae, quarum iam mentionem fecit LVDWIG<sup>t)</sup> quae temporis tractu tantam induxerunt iurium diuersitatem, vt singuli vere pagi singulaeque ciuitates, diuersis vterentur statutis et iuribus, cumque in nonnullis locis prisca remaneret seruitus, quae in plurimis immutata in aliis vero sublata inueniebatur, mirandum sane non est, quod et in tanta iurium farragine, in doctissimorum Virorum scripta crebri irrepererent errores. Sed mitto hanc rem iam satis cognitam, nostram hanc disciplinam magis concernentia propositurus.

## §. III.

o) a BERG Diss. de hominibus propriis. §. VIII. lit. f.

p) IO. TOB. RICHTER Diss. de Marchionatus Lusat. sup. Iure singul. hom. propr. manumissos reuocandi, et Pottgiesser loc. cit. lib. 2. cap. IX.

q) Mandat. d. 8. Iulii 1656. d. 7. April. 1663. d. 20. Aug. 1667. in Cod. August. Tom. III. pag. 238. 251. et 258. Mandat. d. 1. Iulii 1735. et de dat. Dresdae d. 28 Martii 1765.

r) ill. BOEHMER de libertate imperfecta rust. germ. §. II.

s) a BERG loc. cit. §. 3. lit. h.

t) ill. de LVDWIG de Iure clientelari Sect. III. Cap. 2. §. I. seq.



## §. III.

*Proponitur definitio Seruitutis Iur. rom. et variae ICtorum sententiae  
expenduntur et reuelluntur.*

Satagunt interpretes plerumque de concinna seruitutis et ser-  
uorum descriptione, ego autem definitioni constituendae, si vires  
permittant, operam daturus sum. Accurate Florentinum <sup>u)</sup>, et  
qui eum sequitur, Tribonianum <sup>x)</sup> seruitutem in genere defini-  
uisse: Constitutionem iuris gentium, quo quis contra naturam al-  
terius dominio subiicitur, arbitror, lubenter quidem et C I C E R O-  
N I <sup>y)</sup> et A R I S T O T E L I <sup>z)</sup> seruitutem quandam ex natura ve-  
nientem, affectuum scilicet, et deficientium animi qualitatum existe-  
re, concedimus, sed salua adhuc erit nostra finitio; nec opus est  
conciliatione Clariss. W E N D L E R I <sup>a)</sup> qui ICtos de actuali serui-  
tute loqui, Aristotelis et philosophorum sententiam de natura serui  
accipiendam esse, dixit, quamuis haec omnia se recte habeant, at-  
que Plutarchi in Vit. Pelop. auctoritate, Pelopidam, asserentis, na-  
tura imperatorem fuisse, non quidem quod talis natus fuerit, sed  
quod prudentiam natura regiam haberet, confirmatur, vnusquis-  
que enim, modo paulo accuratius ad obuenientia facta attendere  
et ideas secernere didicerit, primo statim adspectu, aliud suae de-  
finitioni ICtos, aliud philosophos constituisse obiectum, animad-  
uertit, et qui ne hoc quidem, eum ad Aristotelem remitto, qui  
ipse lib. I. Polit. aliam seruitutem ex natura aliam ex lege profluen-  
tem agnuit. Nec late S C H V R T Z F L E I S C H I V M <sup>b)</sup>, vel ma-  
xime in ICtos iniuriosum sibi que parum constantem refutaturus  
sum, asserit ille, Philosophos conquirere rationes, ICtos se reci-  
pere

u) leg. 4. ff. de Iure Personar.

x) in §. 2. Inst. de Iur. Personar.

y) C I C E R O in Paradox. vbi scribit: Seruitutem esse obedientiam fracti ani-  
mi, arbitrio carentis suo.

z) A R I S T O T E L E S lib. I. Polit. Cap. 3. et 5.

a) W E N D L E R in Philosoph. Practica.

b) Clariss. S A M V E L S C H V R T Z F L E I S C H Diff. de Seruitute §. 6.





pere ad leges; praeterquam enim quod plerique veterum ICto-  
rum veram confiterentur philosophiam, ipse ex Philosophis, ser-  
uitutem contra naturam esse, probavit. Nec me mouet iudicium  
MURETI<sup>c)</sup> qui hanc definitionem ineptissime factam affirmat,  
quia *seruitus esset constitutio, seruire ita constituere aut constitui*;  
nam si et hoc concederem, ex ipsa Mureti opinione seruire erit  
constitui in alterius dominio ex voluntate gentium contra naturam,  
quae vero his verbis insit ineptitudo adhuc non peruideo. Pergit  
ille, *deinde si seruus et dominus sint aliquid, seruitus et ad eandem  
categoriam pertinebit, sed hoc significat, seruitutem esse relatio-  
nem quandam serui ac domini tanquam rei possessae ad possidentem,  
ortam ex iure gentium.* Et haec priora verba Mureto, Aristote-  
licis imbuto principiis salua nostra definitione dare possem, nego  
autem atque pernego seruitutem in sola relatione domini et serui  
consistere, in definiendo enim seruo non solum solliciti sumus de  
relatione domini et serui, sed et de relatione et differentia serui  
et liberi, cumque ita haec Mureti definitio illam, neutiquam vero  
hanc exprimeret ideam, longe angustior esset suo definito. Vix  
denique firmioribus principiis TITII<sup>d)</sup> nititur sententia, nostram  
definitionem reprehendentis, *quia redactio in dominium formale  
seruitutis non exhauriret, nec ad seruitutem, quatenus libertati op-  
poneretur, pertineret*; sed vellem adduxisset auctor, concinnio-  
rem suae sententiae rationem, mihi haec verba formam seruitutis  
omnino continere videntur, quemadmodum enim alia quaecun-  
que res in alterius dominium redigitur, eaque in dominio iam con-  
stituta dominus pro arbitrio vti et abuti potest, ita et seruus, qui  
quatenus seruus est, eandem cum ceteris rebus sortitur conditio-  
nem, omnibus acquirendi modis acquiritur, omniaque quaecun-  
que etiam sint, domini iussu peragere tenetur, et haec est vera ser-  
uitutis idea, si vero lex vel conuentio domini arbitrium vel restrin-  
git

c) MURETVS Not. ad §. II. Inst. de Iur. Person.

d) TITIVS in Not. ad Lauterbach. in Mollenbecii Thes. Iur. Ciuil. pag. m. 46.



git vel quousque procedere debet determinat, haec sunt accidentalia et mere singularia, quae ad generalem definitionem non pertinent. Quod vero haec definitio seruitutem quatenus opponeretur libertati non attingeret, nullo auctor, multo minus idoneo argumento probauit.

#### §. IV.

*Definitio seruitutis Iuris rom. explicatur atque defenditur.*

Haec doctissimi viri seruitutis definitioni opponerent, sed salua erit, modo rite explicetur. Quod itaque ad illius interpretationem attinet, legimus quod sit *Constitutio*, monendum vero censeo cum T' L A M <sup>e</sup>), Florentinum, Constitutionem hoc loco posuisse pro Constituto, constitutio enim non potest dici genus seruitutis metonymicum, quippe seruitus non est constitutio ipsa sed res constituta; nec tamen ex ea ratione Florentinum censurae submitterem, plures enim iuris rom. conditores vocabulo, quod rei causam indicat, pro re ipsa vfos fuisse non solum modo laudatus T' L A M <sup>f</sup>), ex Paulo probauit, pluribus autem exemplis confirmauit VOET <sup>g</sup>), qui et eleganter annotauit, verbalia in 10 definitionia, quae regulariter rem fieri demonstrarent, eandem nonnunquam factam designare; et eadem ratione Consult. TABOR <sup>h</sup>), hanc definitionem, causalem dixisse videtur. *Iuris Gentium* vero ideam atque significatum, quia ipsa definitio a romanis auctoribus prouecta est, ex eorumdem auctorum principiis, deducendum puto, praecipue cum notio iuris naturae et gentium ex mente romanorum, a nostris principiis plurimum distet. Illis autem ius naturae fuisse, quod natura omnia animalia docuit, nemo ignorat et latius expli-

e) T' L A M Disp. de conditione Seruorum. Lugduni Bataui. 1727. Cap. I.

f) in Leg 31. §. I. τ. de acquirendo rerum dom.

g) VOET Comment. ad Inst. lib. I. Tit. III. §. 2.

h) TABOR Collat. Iur. rom. et Francofurt. Tit. III. §. 7. in Opp. Tom. I. pag. 783.



explicatur a Consult. KORTE<sup>i)</sup>). Imo et ferenda mihi videtur allata definitio modo cum T'LAM<sup>k)</sup>), et aliis DD. ius pro norma actionum, et quidem non solum moralium, sed et naturalium accipiamus, cui sententiae allegatae dissertationi adiecta exempla lucem accendunt; Ius gentium vero aliud, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit et apud omnes peraeque custoditur, aliud quod usu exigente et humanis necessitatibus adactae gentes sibi constituerunt, sic ut illud sola Dei voluntate, hoc interueniente consensu, pactis et placitis gentium nitatur. In hac autem distinctione vel maxime errasse videtur HOTTOMANN<sup>l)</sup>), haec Sphi verba, omnem complecti iuris gentium ideam, iuri naturae oppositiue consideratam, arbitratus; definiuit enim imperator iam §. praecedenti, quid sit ius gentium, iam vero pergit ad ius civile, hocque definito, significatum iuris gent. secundarii, quod vocant vel hypothetici, exprimendum curat, et hoc iuri civili opponit, vtriusque enim obligationis determinatio a voluntate et consensu hominum dependet, differt tamen in eo, quod illud et arbitrio maiestatis, vnius gentis, hoc vero determinatione duarum vel plurium gentium nitatur; confirmant et nostram sententiam adiectae a Iustiniano species contractuum, quae tamen in iure gentium primario nunquam determinatae, inueniuntur; nec obstant verba: *Ius autem gentium omni humano generi commune est*: quemadmodum enim MARCILIUS<sup>m)</sup> acute ait: *hic non simpliciter gentes sed cum ἐπιτάσει, gentes humanas sibi constituisse ius gentium, dixisse Vlpianum*, (hic enim locus est leg. i. π. eod. Tit. profectus est) *ut ostenderet nullum esse ius gentium, nisi quatenus humanitati et rationi consentaneum est*: ita et haec vox *commune* eodem modo interpretari, eandemque hoc loco nihil aliud quam

B 2

vocem

i) KORTE ad leg. 1. §. 4. Dig. de I. et I. de Iure quod natura omnia animalia docuit.

k) T'LAM cit. loc.

l) HOTTOMANNVS ad §. 2. Inst. de Iur. not. gent. et civili.

m) MARCILIUS in Not. ad §. 2. Inst. de Iur. nat. gent. et civili.



vocem *consentaneam* significare, affirmari posset; at non opus est hac legis interpretatione, nullibi enim Iustinianus dixit, genus humanum hoc iure gentium communi, duce natura uti, quatenus ipsa hominum negotia earumque determinationes consideramus, sed quatenus circa iura acquisitiua, hominumque negotia, si existant, illa lex diuina versatur. Nos vero derelictis romanorum principiis, ius naturae id dicimus, quod supremum numen omnibus hominibus per dictamen rectae rationis promulgauit, et nullam prorsus inter ius naturae et gentium intercedere differentiam concedimus, nisi quod ius naturae singulorum hominum ius gentium vero vniuersarum gentium facta concernat. Nobis itaque ius naturae idem erit, quod romanis ius gentium fuit, ius gentium voluntarium vero, quatenus pro lege sumitur, ad non entia referimus, gentes enim nulli superiori, nisi Deo subsunt, vbi vero nullus existit superior, nulla quoque existere potest lex; quatenus vero obseruantiam denotat, quam gentes sponte introduxerunt atque continuarunt, lubenter admittimus. Hocque ius gentium hypotheticum seruitutem introduxit, neutiquam vero natura, probat hoc MARCIANVS<sup>n)</sup>, VLPIANVS<sup>o)</sup> et SENECA, *natura, ait, neminem fecit liberum et neminem seruum, imposuit fortuna nomina haec singulis, cuius causam imperatorum<sup>p)</sup> aequitatem, gentiumque sapientiam quae victorum saeuitiam restringendam communem autem vtilitatem per seruos promouendam suadebat, fuisse arbitror, quare et VLPIANVS seruitutem iure gentium libertatem inualisse, scripsit<sup>q)</sup>. Ne vero quis nostram sententiam auctoritatibus suis destitutam reputaret, iuuat ex veteribus in auxilium vocasse CICERONEM<sup>r)</sup>, et quos*

n) in leg. 2. §. de natalibus restituendis.

o) in leg. 32. §. de Regul. Iur.

p) Conf. BORCHOLD Comment. ad Inst. lib. I. Tit. III. §. seruitus etc. et §. 3. Inst. de Iure Person.

q) in leg. 4. §. de Iust. et Iur.

r) CICERO de Officiis lib. III. Cap. 5. vbi scripsit, neque vero hoc solum *natura* id est, *iure gentium*, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis ciuitatibus resp. continetur, eodem modo constitutum est, vt non liceat sui commodi causa nocere alteri.



quos iam euocauit HOTTOMANN<sup>s)</sup>, ex recentioribus autem GERHARDVM<sup>t)</sup>, HOBESIVM<sup>u)</sup>, PUFENDORFIVM<sup>x)</sup>, GVNDLINGIVM<sup>y)</sup>, et GLAFEY<sup>z)</sup>, qui ad vnum omnes ius naturae et gentium pro eodem vsurparunt, atque GROTI<sup>a)</sup> et iis qui in hunc commentati sunt ante Hobesium, cui vnice huius sententiae gloria vindicanda est, ceterisque Grotii asseclis, ius naturae a iure gentium distinctum asserentibus, responderunt. Subsequentibus definitionis verbis, *quo quis* nihil aliud subintelligi potest, quam homo, haec enim vox est nomen naturale<sup>b)</sup> omnibus a natura competens. Verba autem *contra naturam* nec sine ratione adiecta nec extra controuersiam posita sunt, imo interpretum ingenia maximopere lacesiuerunt. Nonnulli itaque legere malunt *praeter naturam*, alii de naturae significato satagunt, quae omnia satis prolixè pertractauit doctiss. MEISSNER<sup>c)</sup>. Sed omnia haec tuto praetermittimus lubenterque concedimus, in nonnullis auctorum locis *contra* eodem significato quam *praeter* vsurpari, attamen hac interpretationis ratione non utimur, ipse enim Philo ait, in lib. de vita contempl. *Seruitus cum natura maximopere pugnat, ea enim omnes homines liberos genuit*, et plenariam seruorum soboli iam erudite vindicauit libertatem Consult. BESACK<sup>d)</sup>, imo ingeniose scripsit BACHOFF<sup>e)</sup>, *si illa seruitus* (Aristotelis, Ciceronis, Platonis et aliorum) *tantum secundum naturam est, quo*

B 3

stupi-

- s) HOTTOMANN Comment. ad Inst. lib. I. Tit. II. pag. m. 13.  
t) GERHARD delineat. Iur. nat. lib. I. Cap. VIII. Th. 59.  
u) HOBESIVS de Ciue Cap. 14. §. 4.  
x) PUFENDORF Ius nat. et Gent. lib. II. cap. III. §. 23.  
y) GVNDLING Ius nat. et Gent. Cap. I. §. 69.  
z) GLAFEY *Recht der Vernunft* lib. II. Cap. II. §. 65.  
a) GROTIUS de Iure B. et P. lib. I. Cap. I. §. 14. lib. II. Cap. IV. §. 9. et multis aliis locis, per omnem vere hunc libellum.  
b) VLPIANVS in leg. 4. π. de I. et I.  
c) MEISSNER Diff. de ortu et progressu seruitutis secund. Ius nat. et ciuile Praefide Consult. Wiefandii Lipsiae 1762. habita.  
d) BESACK diff. de sobole seruorum libera.  
e) BACHOFF ad Prota lib. I. Tit. V. pag. 165.



*stupidi ingenio, imperio aliorum atque dominio subiiciuntur, consequens est, eam seruitutem videri contra naturam, qua saepissime et meliores et prudentiores et nobiliores subiiciuntur imperio deteriorum et longe inferiorum.* Noli tamen arbitrari seruitutem repugnare legi naturae, nihil enim, quod huic legi ad instar sui conditoris immutabili, perpetuae et sanctae repugnaret, cogitari potest, quod non esset iniustum, sed seruitus tantum aduersatur statui hominum primaeuo naturali, vt recte rem explicauit WESTENBERG<sup>f)</sup> eoque originario, ita vt cum HVBERO<sup>g)</sup>, ius hic<sup>h)</sup> pro facultate, neutiquam vero pro dictamine rectae rationis accipiamus. Vocem *alterius* scilicet hominis iam late exposuerunt BVSIVS<sup>i)</sup> et BACHOFF<sup>k)</sup> seruus enim et dominus sunt correlata, nullus itaque seruus sine domino nec dominus sine seruo nec vterque in vna persona simul existere potest. In *dominio* denique praecipua latet inter ciuem seu subditum et seruum differentia, omnis quidem ciuis subiectus est, sed maiestati paret non domino, imperat enim maiestas ciuibus sed tyrannus dominatur genti et dominus seruis.

#### §. V.

*Nonnullis doctorum Germ. seruorum definitionibus recensitis, noua superadditur et explicatur.*

Haecenus de definitione romanorum; iam vero quaestio altera nobis occurrit: Vtrum allata definitio et Germaniae seruis applicari possit? si de antiquis Germaniae seruis sermo sit, quominus in affirmantium partes eam, nullus dubito, vtrique enim tam romani quam germanici in essentiali seruitutis id est proprietate seu subiectione alterius domini conueniunt, licet in quibusdam accidentalibus

f) WESTENBERG Princip. Iur. secund. ord. ꝛ. lib. I. Tit. V. §. 41. in Opp. Tom. II. p. 33.

g) HVBER Praelect. ad Inst. lib. I. Tit. 3. §. 3.

h) §. II. Inst. de Iur. nat. gent. et ciuil.

i) P. PVSIVS ad ꝛ. lib. I. Tit. V. pag. m. 18.

k) BACHOFF ad Prota lib. I. Tit. V. pag. m. 166.



dentalibus distent, sed haec nec genus nec speciem mutant, vix enim tanta est in seruis germ. et romanis differentia, quanta fuit in seruo romano aetate Iustiniani et sub libera republica, omnes tamen seruos fuisse nemo negavit. Ex quo vero tempore Germ. serui participes facti sunt reipublicae, et consequenter duplici respectu scil. et reipublicae quatenus sunt ciues, et domini, quatenus seruitute premuntur, considerandi sunt, longe aliam seruorum natura faciem induit. Quamuis enim adducta definitio alteram in se contineat relationem, prima tamen; quae necessario cum seruis nostris hodiernis coniungenda est, idea, qua hi ab omnibus reliquis mancipiis vnice distinguuntur, desideratur, sic vt eandem si non tollendam, paucis tamen immutandam censeamus. Sed mirandum sane, quod clarissimi illi viri, qui tanto studio materiae nostrae explicandae incubuerunt, hanc neglexerint, ipse POTTGIESSER in tr. suo nunquam satis laudando, variorum quidem recenset definitiones <sup>l)</sup>, sed nec vnica probavit, nec propriam constituit. Ill. SENCKENBERG <sup>m)</sup>, cuius nomen et merita, ii saltem silentio excipiunt, quos omnes elegantioris iuris prudentiae historia fugit, eleganter *seruitutem ait conditionem hominum vi cuius alter alterius potestati ita subiectus est, vt de eo eiusque ministerio certo modo disponere possit.* Lubenter quidem eruditioni et auctoritati huius viri cedo, vt tamen in hoc ab illo dissentiam, benignitas Ill. viri, cum ipsa rei veritas dissensum suadet, excusabit. Elegantem quidem et omnibus nummeris absolutam esse hanc definitionem, quatenus seruitutem in statu reipubl. Germaniae antiquo consideramus, confiteor, sed quod rite hodiernis Germ. seruis tribuatur, vel maxime dubito, serui enim comprehendit ideam non vero ciuis, seruos vero nostros et simul ciues esse infra probaturus sum. Cum itaque definitio adaequata, obiectum definiendum non solum ab omnibus reliquis obiectis distinguere sed et qua-

l) POTTGIESSER de statu seruorum Prolegom. §. 13.  
m) SENCKENBERG diss. de conditione seruorum, §. 3.



quatenus cum aliis conuenit, testificari et omnia obiecti essentialia determinare debet, in hac autem subditi idea omiſſa, nec differentia ſeruorum noſtrorum et illorum, qui ab Germaniae originibus ad ſeculum vsque XIII, Germaniam inhabitauere, conſtituta et determinata ſit, hanc et inuitus derelinquere cogor. Nec nomen ſubſcribere poſſum definitioni a G V N D L I N G I O <sup>n</sup>) allatae, quem Ill. S T R V B E <sup>o</sup>) ſequitur, quanti etiam hos aeſtimo viros, nam ſi ex horum opinione *ſeruitus eſt locatio et conductio perpetuarum operarum pro perpetuis alimentis cum annexa ad obſequendum obligatione*, ſeruus erit qui perpetuas operas pro perpetuis alimentis cum obligatione ad obſequendum locauit, locatio autem eſt contractus ſiue iur. germ. pactum, omne pactum nititur conſenſu eoque libero, quomodo vero libera voluntas contrahendi in hoſte victo, cui vltimum iam vitae excidium proximus ictus minatur, cogitari aut is contraxiſſe praefumi poteſt, qui rationis actu adhuc caret vel quod minimum eſt, conſenſum declarare nequit? attamen ſeruos infantes impuberes et hoſtes, nec veteres ignorauere nec nos ignoramus, quamuis neque pacti ſint, neque propter defectum facultatis declarandi conſenſum pacifci potuerint. Dein nec reliqua definitionis verba reprehentione carent, nec enim ſeruus perpetuas operas praeftat, nec perpetua accipit alimenta. Seruus enim infans, impubes, ſerua vel libera quae ſeruo nupſit, nullas praeftat operas, nec ſeruus, qui relictis patriis laribus, alibi ſibi domino conſentiente, victum quaerit, nec ii, qui nulla plane praedia poſſident, ſed ſolius habitationis ratione in pagis commorantur, et in L V S A T I A ſuperiori *Hauſſgenoffen* audiunt <sup>p</sup>), nullis fruuntur alimentis, et tamen ſeruituti ſubſunt. Praeterea non vrgeo, quod ex hac definitione, ſi auctoris verba accurate inſpiciamus, ſequeretur, operas et alimenta eſſe principale, obſequii obligationem

n) G V N D L I N G in Via ad Verit. Iur. nat. Cap. 30. §. 6.

o) Ill. S T R V B E tr. de Iure Villicorum Cap. VII. §. 1.

p) Ober Lauſmitzer Landes Ordnung d. An. 1597. Art. III. in Corp. Iur. Luſ. ſup. pag. 291.





gationem vero accessorium constituere, ex quibus praemissis, vnusquisque, quia deficiente causa principali, nulla existere potest accessoria, recte concluderet, quod his cedentibus et cederet obsequendi obligatio, cum tamen non solum supra iam dicta, sed et leges, mores et ipsa experientia, contraria docent. Multis et arridet definitio QVINTILIANI<sup>q)</sup>, *qui seruum dixit, hominem dominio alieno iure subiectum, siue qui iure est in seruitute.* Sed ne hanc quidem admittere possum, partim ex ea, quam iam supra occasione definitionis Ill. Senckenbergii attuli, ratione, partim, quia omnis seruitus ex facto, tanquam primo actu siue licito siue illicito oritur, nunquam ex iure, quamuis, aliquem iure in seruitute esse posse, non negauerim. Adiectis itaque ICtorum opinionibus, me paucis expediam, retentaque seruorum definitione, quam Florentinus suppeditauit, vnica tantum voce immutata, seruum nostrum hodiernum, siue hominem proprium definitio: *Ciuem siue subditum, alterius dominio contra naturam subiectum.* Ciuem eundem appellauit, quia partem constituit reipublicae siue particularis, siue vniuersalis, non tamen sine ratione subditi adieci vocabulum, sed vt quilibet statim, quo significatu ciuem nostrae inferui definitioni, intelligere posset; triplicis enim ius ciuitatis germaniae esse significatus, eleganter docuit GVNDLING<sup>r)</sup>: vniuersale scil. quod omnibus imperii prouinciis eorumque subiectis competit, particulare, quod iis, qui ex eodem populo orti, eiusdemque prouinciae domino subiecti sunt, tribuitur, et singulare seu speciale, quo quis ciuis s. incola municipii et vici alicuius, omnibusque illius municipii iuribus particeps redditur. Vltimum ordine, nihil ad nos, primum vero et alterum, seruis vindicamus, quatenus in territoriis mediate vel immediate imperio subiectis, degunt. Caetera definitionis verba, seruum a reliquis ciuibus distinguunt,

q) QVINTILIANVS Inst. Orat. lib. V. Cap. IV. et lib. VII. Cap. III. Edit. Burmann. Tom. I. pag. 620.

r) GVNDLING ad Prota lib. I. Tit. V. pag. m. 68. seq.



stinguunt, seruus enim hodiernus, et ciuium gaudet iure, et reliquis reipublicae ciuibus in relatione ad principem, et alia reipubl. membra aequalis est, sed praeter obligationem, qua cum reipublica eiusque singulis membris consociatus et principi subiectus est, altera ratione et domino obligatur, eiusque dominio subiicitur.

§. VI.

*Vtrum serui hodierni ciues sint, quandoque his haec sors contigerit, disquiritur.*

Seruos hodiernos praecedente §pho, ciues appellauit, iam uero ut sententiam meam argumentis corroborem, mei officii est; Sed neminem de eius veritate dubitare, mihi persuadeo, doctrina enim iuris publici vniuersalis, iam omnes, ciuium notam primariam, in iure et obligatione subeundae militiae, ferendorumque reipublicae onerum, in praerogatiua aequali fruendi iurisdictione, iuriumque ciuibus competentium generaliorum, in obligatione denique propter laesiones poenas luendi, quae, cum ciues sibi inuicem qua ciues aequales sint, pares quoque esse debent, consistere, docuit, quare et seruis omnia haec competere iura, eosque iisdem teneri obligationibus, non late probaturus sum, quotidie enim seruos in militiam legi, omnia quaecunque sint onera, territoriali domino a ciuibus praestari solita praestare, immo omnes praestationes personales, quorsum et capitis census referendus videtur, soluere, quarum solutio nemini nisi ciui incumbit, nuptias celebrandi condendique testamenta facultate gaudere, iurisdictioni subesse, nunquam a testimonii dictione atque iuramentorum praestatione arceri, propter illatas iniurias atque commissa delicta, easdem, quas reliqui ciues, dare poenas, libere commercia atque opificia, quatenus priuilegia ciuitatibus specialibus indulta haec permittunt, exercere, omnibusque reliquis ciuium praerogatiuis uti, quibus saluo dominorum iure frui possunt, ipsa experientia testatur. Nec absolum est, dicere aliquem seruum et subditum, vnum enim hominem plures saepe sustinere personas inuictif-



inuietissimis argumentis Consult. BREVNING<sup>s</sup>), et HERTIVS<sup>t</sup>),  
euicit, vt tuto huius sententiae probationi, quam neque angusti  
huius libelli fines capere, nec elegantiora doctissimorum virorum  
dictis, continere possent, superfedeam. Nec primus sum, qui  
hanc sententiam defendit, LVDOLFF<sup>u</sup>), enim *concurrere saepius  
possunt*, inquit, *in vna persona ius territorii et ius dominii colonarii*.  
Iam vero ius et obligatio semper sunt correlata, si quis itaque iure  
suo territoriali, et dominio colonario intuitu vnius personae vtitur,  
sequitur, vt et alter duplici vinculo qua subditus et qua colonus  
illi obligatus sit. Dein alia plane iura dominus in seruum, qua  
subditum, exercet, vi concessae iurisdictionis, alia qua seruum ri-  
gore domini, diuersa enim ratione seruus principi ad tributa et  
vectigalia atque obsequium, diuersa denique domino ad operas,  
annuas pensitationes, et quae sunt reliqua a ciuibus et seruis prae-  
stari solita, soluenda obligatur, vna etenim obligatio alteram non  
tollit. Sed haec trita, a quo vero tempore serui iura ciuium adepti  
partesque reipublicae facti sint? difficilior est quaestio. Silent le-  
ges atque scriptores, et sponte confiteor, me partim ob temporis  
breuitatem partim propter nimiam librorum vel maxime huc spe-  
ctantium penuriam, quos legere atque acquirere inuita fors mihi  
adhuc denegauit, vera huius quaestionis fundamenta, nondum in-  
tellexisse, iuuat tamen quasdam dissertationi adiecisse coniecturas,  
quas tamen pro veritate non ventilarem, sed modo non displicent,  
contentus sum. Iam vero exposuimus notas ciuium characteristi-  
cas, sed quo temporis spatio et has in seruis conspicerere possumus,  
indagare operae pretium erit. Frustraneum tamen fusciperem la-  
borem, si sedulo in tempora Caesarem Tacitumque praecedentia  
inquirerem, Tacitus enim in plurimis locis imprimis vero capite  
25. inquit, *liberti - - - raro aliquod momentum in domo nunquam  
in republica*, quae, cum de libertis annotare non dubitauit, Tacitus

s) Consult. BREVNING Diff. de conditione Principis diuersa.

t) HERTIVS Diff. de vno homine plures sustinente personas. Opp. Tom. III.

u) LVDOLFF Obseru. Cameral. Part. I. Obseruat. 148.



tus, maiori adhuc probabilitatis ratione de seruis dici possunt. Imo obligationem ciuium ad onera reipublicae ferenda silentio praeterimus, census enim personales, eo tempore, in quod fortasse insignis haec seruitutis immutatio incideret, vix obtinuerunt, et si obtinuerint, horum tamen memoria atque constitutio ad nos non peruenit, tributa ac vectigalia realia vero ciuis indolem et conditionem vix arguunt saepe enim quis, quamuis subditus non sit istius regionis, praediorum tamen intuitu in illa sitorum, onera realia ferre tenetur, sed et ad haec soluenda seruos antiquo iure fuisse obligatos, cum ignarissimis ignoramus. Si vero ius subeundae militiae fruendique iurisdictione, poenarum paritatem et ipsam seruorum denominationem consideramus, magna sane cum probabilitate, seruis ciuium iura ante seculum decimum tertium ad finem fere perductum, vel initium seculi quarti non obtigisse, affirmari potest. Quod itaque delictorum coercitionem attinet, expediti iuris est, aeuo Merouingico impune haberi, *si seruus in coercitione plagis defecerit, modo dolus, id est occidendi animus, abesset*. Iniuriae seruis a liberis hominibus illatae, extra legum curam erant et nonnisi leuissime vindicabantur <sup>x)</sup> quamuis regii et ecclesiastici serui melioris conditionis, eorumque iniuriae grauius punitae fuerint <sup>y)</sup>, *si vero seruus seruam uno seu duobus vel tribus ictibus percusserat, nihil erat* <sup>z)</sup>, grauius autem iniuriae liberis hominibus a seruis illatae mulctabantur <sup>a)</sup> si ingenuus furtum commiserat pecuniaria poena, seruus fustigatione afficiebatur <sup>b)</sup>. *Seruus in exercitu frenum, feltrum, capistrum surripiens manum perdebat, ingenuus XL soluebat solidos* <sup>c)</sup>, *si seruus cum libera fornicauerat ultimo* sup-

x) Lex Baiuuariorum Tit. V. L. Allemannor. Tit. XCV.

y) L. Ripuar. Tit. VIII. IX. et X.

z) L. Ripuar. Tit. XXIII.

a) Lex Ripuar. Tit. XXI. iunct. XXII. et Varia L. Salicae et Allemannorum loca.

b) Lex Salica Tit. 42. §. I.

c) Lex Baiuuariorum Tit. II. Cap. 6.



*supplicio, ingenuus XII. sol. plectebatur; d) si ingenuus ingenuum rapuerit CC sol. noxius iudicetur si seruus, de vita componat e). Imo, subiiciebantur serui quaestionibus, quae eo tempore in ingenuis inauditae atque plane incognitae erant f). Nec meliori conditione serui sub Carolingicis utebantur, PIPINVS g) enim seruo si incestum commiserat, fustigationem, ingenuo pecuniariam poenam irrogari iubet. Si liber, denarios regios ab emtore aut alio debitore oblatos acceptare renueret; pecunia puniebatur, si seruus, nudus flagellabatur publice palo allegatus h). Furti reus si ingenuus cum suis iuratoribus se idoneare faciat, seruus vero ad aquam feruentem aut ad aliud iudicium se idoneare faciat, Carolus disposuit i). Excludebantur a testimonii dictione, nec eorum iuriiurando credebatur k). Si seruum dominus occideret percussione lapide vel virga si vno die superuixerit, non subiacebat poenae, pecunia enim eius erat, imo si sine iudicis scientia occiderit, excommunicatione vel poenitentia biennii reatum sanguinis emendabat l), sed qui hominem h. e. liberum, percusserit, volens occidere, morte moriatur m). Subiiciebantur tormentis n) semperque in delictis durior seruorum erat conditio, quam ingenuorum o). Nec seculum IX et X inaequalem fustulit seruorum sortem, nam si ingenuus mensuram adulterasset, annonam vel vinum perdebat, cuius falsum modum dixerat et pecunia castigabatur, seruus dei iudicio se ab accusatione libera-*  
*bat,*

C 3

d) Lex Baiuuar. Tit. VII. Cap. 8. et 9.

e) Lex Ripuar. Tit. XXXIV. Cap. 1. et 4.

f) Lex Baiuuar. Tit. VIII. Cap. 18. Lex Salica Tit. XLII.

g) PIPINI Capit. Metense de an. 757. Cap. I. ap. Lindenbrog Cod. leg. Germ. pag. 1203.

h) Capit. Caroli M. Francofurt. de an. 794. Cap. 3.

i) Capit. Caroli M. Cap. 23.

k) Capit. Caroli M. lib. VI. Cap. 144. et lib. V. Cap. 150. Lex Salica Tit. 42. 6.

l) Addit IV. Cap. 49. et Baluz. Tom. I. pag. 251.

m) Capit. Caroli M. lib. VI. Cap. 5.

n) Capit. Caroli M. lib. V. Cap. 200. Du Fresne, voce ignis iudicium et Charta Corbeiensis ap. Furstenberg. Monument. Baderbornens. pag. 97.

o) Capit. Caroli M. lib. V. Cap. 7. et 190.



bat, frumentum vel vinum perdebat et virgis nudo corio vapulabat<sup>p)</sup>, seruus homicidii postulatus, iudicio aquae feruentis subiiciebatur<sup>q)</sup> et longe grauiorem poenam subiisse seruum principum edicta violantem quam ingenuum, Capitula Leg. Salicae an. 918. adiecta Capite XVI. innuunt. Presbytero occiso, seruum XII. vomeres candentes calcare et ingenuum XII. testibus innocentiam probare, concilium Moguntinum iussisse, probauit et pluribus argumentis seruorum durissimam sortem ratione delictorum testimonii dictione et necis vindicatione demonstrauit POTTGIESSER<sup>r)</sup> sed et seculo insequenti XI. XII. et XIII. non defunt testimonia inaequalitatem seruorum probantia; nunquam enim aduersus ingenuos testimonium perhibere poterant, nisi ex singulari concessione<sup>s)</sup>. Serui furti accusati *se igniti ferrei iudicio purgare* tenentur, *si liber mercatorem spoliauerit ablata restituat et iuret quod nesciuerit illum mercatorem, si seruus tondebitur et in maxilla comburetur<sup>t)</sup>*. Imo Prussos seruos rogo iniectos vna cum corpore domini concremasse, legimus<sup>u)</sup>. Sed hic pedem sisto, cum vltius progredi non liceat, omni enim et data opera nullum post annum vigesimum nonum seculi XIII. eruere potui documentum, quod inaequalem seruorum conditionem in poenis demonstraret. Iam itaque militiae ratio habenda est, cum vero rem fere confecit HANF<sup>x)</sup> et METTING<sup>y)</sup> breuiter eam pertractaturus sum. Sollicite autem ill. STRVBE<sup>z)</sup> ait: originis rationem habuerunt, germani, vt

p) Edictum Pistense de an. 864. Cap. 20.

q) Capitul. Ludouici Pii de an. 864.

r) POTTGIESSER Historia Successionis Seruitutis Germ. §. 15.

s) Charta Ludouici VI. regis Francia de an. MCXI.

t) Friderici I. Imp. Leges Castrenses de an. 1158. ap. Goldast Constitut. Imperial. Tom. I. pag. 268. Tabulae Consulium Eresburgenses de an. 1229. in Monument. Paderbornens. laudar. auct.

u) Quod patet ex priuilegio Pruthenis concessam, apud Hartknoch ad Duisburgi Chron. Prussicum.

x) HANF de veteri apud Germanos militiae statu. Altorfii 1748.

y) METTING Diss. de Statu militiae germanicae.

z) STRVBE de Iure Villicorum Cap. I. §. V. lit. h. pag. 15.



vt regulariter cingulum militare minime seruis vel libertis, sed tantum iis, qui militibus et ingenuis parentibus nati erant, contulerint; hinc *arma sumere non ante cuiquam moris, quam ciuitas suffectorum probauerit; tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinquus scuto frameaque iuuenem ornant* - - - ante hoc domus pars videntur mox reipublicae; TACITVS <sup>a)</sup> scripsit. Cumque germani, nihil neque publicae neque priuatae rei nisi armati agerent <sup>b)</sup>, certissimum ingenuitatis atque ciuitatis signum, arma perhibent, quare et serui nequidem venari, nec arma gestare, disponunt enim Capitularia *vt serui lanceas non portent, qui inuentus fuerit post annum, hasta frangatur in dorso eius* <sup>c)</sup>, multominus vero militiae nomen dare poterant; etenim militia nobilitati originem dedit <sup>d)</sup>, atque ingenuorum et nobilium vniuersalis erat ad militandum obligatio, qui temporis successu arctiori adhuc vinculo beneficiorum largitione ad militiam agendam deuinciebantur <sup>e)</sup>, sed serui nunquam in militiam legi potuisse leges veteres <sup>f)</sup> probant, et inde illustratur quod nequidem ciuicis hominibus militaris dignitas conferretur <sup>g)</sup>. Nec sequentibus temporibus vnicam inuenire potui constitutionem siue Diploma, quod militiae capaces seruos declarasset, vsque dum expeditiones cruciatae his viam ad militares honores aperuerunt. Originem autem ceperunt hae expeditiones in fine seculi XI. <sup>h)</sup> Cumque in omni iure miram effecerint mutationem, vt more suo erudite demonstrauit

a) TACITVS de Moribus German. Cap. 13.

b) TACITVS loc. cit.

c) Capitul. lib. V. Cap. 227. et lib. VI. Cap. 271.

d) GLAFEY de Ministerialium indole. Lib. I. Cap. III. Sect. I. §. 3. Cramer de nobilit. auita pag. 57. lit. c.

e) BOEHMER Diff. de Iuribus ex Statu militari Germanorum pendentibus. Cap. II. §. 2.

f) Capitul. de Anno 812.

g) GLAFEY loc. cit. lib. II. §. 17. pag. 361.

h) BERTOLDVS ad an. 1095. Dodechinus ad an. 1095. Rechenberg Diff. de prima expeditione cruciata. Bertoldus ad an. 1096.



monstravit BOEHMER<sup>i)</sup>), praeprimis seruorum ordinem inuerterunt et antiquos mores in militia exsuerunt. Papa enim omnem dissoluit nexum, omneque vinculum rupit, quo antea personae ligatae erant, vt et seruis arma ferre et expeditionem facere liceret, quae cum iam probauerit ill. BOEHMER, duobus tantum testimoniis corroborare, animus est, Auctoris anonymi<sup>k)</sup> auctoritate, qui ita Germaniae statum expressit; *intantum maxima fuit commotio, vt nulla esset via, nullum iter, nulla ciuitas, nullum castrum, nulla planities, nulla montana erat, quae non esset plena papilionibus et tendis nobilibus et Ignobilibus viris ac mulieribus omnes portantes cruces in scapulis, et porro<sup>l)</sup> pater non audebat prohibere filium, nec vxor prohibere virum, et dominus non audebat prohibere seruum omnibus liberum erat iter propter amorem et timorem dei, et DODECHINI<sup>m)</sup>), fide, qui non solum Rusticos sed etiam reges, ducés, - - - ad iter motos fuisse, memoriae prodidit. Quamuis vero serui sacris expeditionibus aequae ac ingenui interfuerint, hos tamen et in reliquis bellis ciuilibus arma tulisse et in militiam lectos esse, mihi persuadere non possum, nec vllus auctor adhuc probauit; cum vero crebris expeditionibus, multisque christianorum millibus occisis, germania ita hominibus spoliata et ingenuis exhausta esset vt auctore BERNHARDO<sup>n)</sup>), *pene non inuenirent, quem apprehenderent, septem mulieres virum vnum*: nouusque ordo hominum rusticorum, in multis terris oriretur, tunc postea bellis intestinis saepissime ortis in tanta virorum indigentia atque inopia, quosdam ex rusticis, qui inter liberos et seruos quasi fluctuabant imo ex seruis, ad militiam admissos fuisse, probabilitati vel maxime consentaneum esse videtur, praeprimis cum non solum Chronicon Spirense<sup>o)</sup> magnum *bubiorum* numerum in exercitu imp. Alberti*

An.

i) BOEHMER de varia Iurium inuolutione per expeditionem cruce signat.

k) Apud Mabillonio in Mus. Ital. Tom. I. P. II. pag. 139.

l) apud MABILLONIO loc. cit. Tom. II. P. II. pag. 13.

m) DODECHINVS Append. ad Marianum Scotum ad An. MXCVI. pag. 462.

n) BERNHARD Epist. 246.

o) Chron. Spirens. Christoph. Lehmanni Lib. VII. Cap. 3.





An. 1300. oppidum Bingen expugnatum fuisse, adnotat, sed et Chronicon Colmaricense<sup>p)</sup>, his verbis: *Rex autem habebat nimios, ita ut antiqui patres dicerent, nunquam vidisse eos talem et tantam militiam congregatos: Seruorum autem pauperum, qui dicuntur bubii tanta fuit multitudo etc.* idem confirmat. Bubios Bubones vel Bobones ingenere seruum denotare ego quidem non negauerim, et WACHTER<sup>q)</sup>, causam transferendi fuisse, ait, quod serui plerumque e grandioribus pueris legerentur, unde stallbub, et habuisse latino barbaros suos Bubios et Bubones, id est lixas calones et militum seruos, cum quo et conueniunt DUFRESNE<sup>r)</sup>, et FRISCH<sup>s)</sup>, et vocem origine celticam esse SCHILTER<sup>t)</sup>, affirmat, seruos tamen et hoc tempore solius seruitii causa exercitum secutos, et ad nulla plane seruitia militaria et expeditiones adhibitos fuisse, mihi non liquet; contraria potius huius acui testimonia arguunt, legimus enim in Chron. Spirensi<sup>u)</sup>: *In des Königs-Heer ist eine grosse Summe leibeigener Knechte gewesen, die man damals Buben genennet, die haben sich beym König angeboten und versprochen, dass sie ohne seine Kosten und Schaden die Stadt wolten einnehmen, wenn er ihnen die Bürgerschaft zu plündern wolt verstatten etc.* quomodo itaque urbem expugnare potuissent, nisi fuissent armati atque in militem, ut ita dicam, numero comprehensi, et in Chron. Colmaricense ad An. 1287. *Ordinatum enim sic fuerat ut regi dicebatur, quod pecuniae quatuor bobonibus datae fuissent, ut tentoria siue exercitus in quatuor partibus incendiissent.* et ad an. 1296. *Veruntque nudi bubones et agros bene seminatos euertunt.* et ad an. 1298. *Hospitium aduocati imperii incenderunt;* Probat, nisi me omnia fallunt, prior locus Bubones  
in

p) Chron. Colmaricense II. Part. ad an. 1300.

q) WACHTER Glossar. Germ. Tom. I. pag. 222. voce bub.

r) DUFRESNE Glossar. med. et infim. Latinitat. Tom. I. pag. 627.

s) FRISCH Teutschlateinisches Wörterbuch Tom. I. pag. 148. voce bub.

t) SCHILTER Glossario Teuton. pag. 70.

u) LEHMANN Chron. Spirens. lib. VII. Cap. 3. pag. 631.



in hostem expeditionem fecisse atque stipendia meruisse. Dein ab omni vero similitudine recedit, seruis suos dominos in exercitum profectos sequentibus eorumque fungentibus ministeriis, tantam indultam fuisse licentiam, ut et agros deuastare et incendia facere potuerint, nisi et ipsi milites fuissent, quamuis hanc reipublicae sentinam ultro in castra confluxisse et infima militiae ministeria subiisse, non inficias eam. Militaris enim honor et militis vox seculo XIII. et XIV. tale haud significabat dignitatis vestigium, quale priscis germanorum temporibus denotauerat, apparet hoc ex Aurea Bulla<sup>x)</sup>, ubi milites, non solum nobilibus et feudalibus vasallis sed et Castrensibus postponuntur, militemque hoc aeuo non solum equitem sed saepe peditem ex plebe infima lectum denotare, erudite probauit, et multa argumenta, quae nostram sententiam confirmant, sed propter libelli temporisque angustias repeti nequeunt, collegit ill. LUDWIG<sup>y)</sup>. Sed haec de militia dixisse sufficiant. Quod vero iurisdictionem attinet, me ab huius explanatione paucis expediam, partim, quia de eius indole illius aeui parum certi habemus, partim vero originem iurisdictionis patrimonialis, veterem esse dominicam in seruos potestatem, viri doctrina celeberrimi THOMASIVS<sup>z)</sup>, et HEINECCIUS<sup>a)</sup>, satis probarunt. Quo vero tempore vetus haec dominorum in seruos potestas, formam iurisdictionis induerit, vel quod verius est, quando domini retenta sua in seruos potestate iurisdictione aliqua praediti sint, hic intueamur. Si vero coniecturae antea allatae fidem mereri debent et hoc seculo decimo tertio vel quarto accidisse, necesse est. Dominus enim qua dominus seruum quidem vi dominiae potestatis castigare et si errauerit in ordinem redigere potest,

x) Aurea Bulla Caroli IV. Tit. XI. §. I.

y) DE LUDWIG *Erläuterung der goldenen Bulle* Tom. I. pag. 73. 82. 104. Tom. II. pag. 5; et aliis locis.

z) THOMASIVS *Diss. de hom. propr.* §. 86. et aliis scriptis.

a) HEINECCIUS *Diss. de origine atque indole Iurisdictionis patrimonialis.* §. 10.



potest, at si seruus consideratur tanquam subditus, in negotiis et rebus ad ciuitatem spectantibus, nulla gaudet in eum potestate, nisi haec illi a maiestate concessa sit. Quaestionem hanc iam mouet HEINECCIUS<sup>b)</sup>, sed quod pace doctissimi viri dixerim, in hac decidenda defecit, consentio quidem clero et academiis ab hoc pendentibus, hanc dominicae potestatis innouationem et iurisdictionis introductionem deberi, sed iam non de origine et causa huius inuenti fatagimus, sed de tempore quo iurisdictione cum dominica veterum potestate coniuncta sit. Sed et hoc dicto seculo mihi accidisse videtur. Profero autem in medium ad sententiae meae probationem eadem argumenta, quibus alii in probatione originis iurisdictionis patrimonialis vsi sunt, cum coarctati dissertationis fines vltiorem et exactiorem argumenti disquisitionem prohibent. Iurisdictionem vero quandam dominis ante annum 1428. competiisse, expediti iuris est, WECK<sup>c)</sup> enim de comitiis statuum Saxoniae an. 1428. Dresdae habitis, conquestos tum dicit nobiles: *dass die Voigte und Amtleute sie in ibren Gerichtsbarkeiten turbirten, und die Unterthanen in allen geringen Dingen für die fürstl. Gerichte und Bann-Stühle forderten.* Nemo autem in iurisdictione turbari potest, nisi ea sit praeditus. Sed citius et certe Seculo XIII. haec dominis concessa videtur, CONRING enim<sup>d)</sup> scribit: *Postea coeperunt multi in vna eademque Goua, comitis non quidem nomine autoritate tamen gaudere, namque et reges - - - et comites ipsi particulas Gouarum suarum aliis atque aliis vrbibus, aut populi nobilioribus familiis imo et plebeiis tradiderunt - - - videntur - - - omnia haec accidisse post auctoritatem regiam collapsam a seculo vsque XIII.* in quem vero probabiliter nobiles et plebei exercere debuissent iurisdictionem, nisi in seruos et quomodo comites in alios iurisdictionem transferre potuissent,

D 2

nisi

b) HEINECCIUS Diff. cit. §. 18.

c) ANT. WECK Beschreibung und Vorstellung der Stadt Dresden P. IV. Tit. VI. pag. 438.

d) CONRING de Iudiciis reipubl. Germ. §. 85. pag. m. 259.



nisi eandem possedissent. Maxime vero ad rem facit ADLZREITERI<sup>e)</sup> testimonium, his constans verbis: *Otto Bauariae dux an. 1311. bellum parans in Hungaros cum omnes pecuniae conficiendae modos circumspiceret, occurrit ei iurisdictio minoris imperii, et ius nobiliorum oppidorum, quae haecenus manserant penes principatum, haec ergo quae erant infacultatibus dominatus, ad conquirenda stipendia, magno aere distrabit - - - permittitque opulentioribus e nobilitate.* Apparet eo tempore non solum principem sed et nobiles in subditos exercuisse iurisditionem, dum Otto eam iurisditionem nobilibus permittit, quae haecenus manserat penes principatum. Ante haec tempora autem nulla gauisos fuisse nobiles in seruos iurisditione iam coniecit HEINECCIUS<sup>f)</sup> cuius argumenta non recoquam. Sed ne forte quis mihi obiiciat, me multis nihil probasse, cum, si et haec omnia se vera habeant et domini demum Seculo XIV. iurisditione potiti sint, negari tamen non possit et ante haec tempora, principes, duces, comites etc. in seruos exercuisse iurisditionem; statim respondeo, cognitionem hanc, quam comites et antiquioribus temporibus de seruis habuerunt, iurisditionem dici non posse, quia iurisditioni tantum subsunt subditi, seruos autem ante seculum XIII. subditos non fuisse, in antecedentibus ex denegato armorum iure ut inaequalitate poenarum, quae subditos non decet, probasse, existimo, sed cum serui in patrimonio ciuium constituti essent, de ciuis autem pecunia et recte iudicet maiestas vi domini eminentis, recte et tunc germani aequae ac romani seruorum curam habebant, ne quis re sua male vtatur, et damnum exinde capiat respública. Sed qua ratione hunc de seruorum negotiis iudicandi, ex potestate haerili supereminenti profluentem modum seculo sequenti desuisse affirmauimus? quia maiestatem, sua iura nobilibus concessisse, in supra adductis testimoniis legimus, potestatem herilem vero maiestas nobilibus

e) ADLZREITER Part. I. Gent. Boic. lib. XXV. §. 26.  
f) HEINECCIUS Diss. laudat. §. 17.



bilibus priuilegio indulgere non poterat, hac enim iam antea gaudebant, nec dominium eminens, hoc enim in regalibus consistit, nec iura quae sibi maiestas antea in seruos vindicauerat, neutiquam enim maiora in seruos iura sibi acquisuerunt domini Seculo XIV. quam seculis praecedentibus habuerunt, etsi et hoc concederem, quod tamen omni historiae repugnat, hoc veteris dominicae potestatis restitutio at non noua concessio, dici possit, iure enim antiquissimo amplissima dominorum in seruos potestas erat; sed optimo iure iurisdictionem, quae vnice maiestati in seruos, qui iam ad iura ciuium adspirabant, competebat. Omnia haec si accurate perpendimus, magnam si non probationem, verisimilitudinem tamen continent, seruos seculo XIV. ineunte in subditorum nummerum esse relatos, cum hi praepriis non solum in addicto testimonio WECKII, sed in Chronico Magdeburgensi <sup>g)</sup> anno 1330. nec non pluribus locis apud LEHMANNVM in Chronico Spirensi inprimis interregni tempore expresse subditi dicantur. Sed iam ad alia.

### §. VII.

*Illustr. Bergeri de seruis hodiernis sententia expenditur.*

Exposita seruitutis definitione, animus eo redit, vt sententiam ab ill. BOEHMERO, THOMASIO, POTTGIESERO, SENCKENBERGIO, et aliis defensam, semper scilicet germaniam suos sibi habuisse seruos, et adhuc habere, a recentiorum quorundam Ictorum obiectionibus liberemus. Sed operam oleumque perderemus, si eorum refutationi, qui seruitutem cum CONRINGIO <sup>h)</sup>, vel BODINO <sup>i)</sup>, abrogatam somniant, vel germaniae seruos, seruis romanis, adscriptitiis et colonis comparare student, insisteremus, quibus ex asse satisfacit BOEHMER <sup>k)</sup>,

D 3

sed

g) Chron. Magdeburgense apud Meibom. Script. rer. Germ. Tom. II. pag. 339.

h) CONRING de urbibus Germ. §. 81.

i) BODINVS de republ. lib. I. Cap. 5.

k) BOEHMER de Iure et Statu hom. propr. a seruis germanis non romanis deriuando. Sect. II. et Hertius de hom. propriis. Sect. I. §. 5.



sed primo loco nobis occurrit iudicium ill. BERGERI<sup>l)</sup>, qui homines proprios Lusatiae similes censet dedititiis romanorum. Duplici autem praepriis significatu dedititii se nobis offerunt<sup>m)</sup>. Vfurpari quidem et iure codicis coepit haec appellatio de iis, qui se suaque alterius potentioris dederant tutelae, de quibus Tit. codicis, ut nemo ad suum patrocini. suscipiat rust. vel vic. et Nouella 17. agit, sed hi plane liberi, nec vlla ratione ad nostros seruos nisi contorte trahi possunt. Indicant enim populos, qui diuina humanaque omnia, moti timore, ne acie vel oppugnatione deuicti sub corona venundarentur, romanis dederant. Solebant enim romani victis captisque hostibus coronam tanquam seruitutis signum imponere, vnde et nonnunquam coronati audiunt, neutiquam vero ex eo, quod milites custodiae causa captiuarum venalium greges circumstarent, GELLIO<sup>n)</sup>, teste. Hi vero, traditis et abiectis armis, ut CAESAR<sup>o)</sup> prodidit, imo deposito capillo et barba<sup>p)</sup>, factaque deditioe solenni formula: *Quando quidem nostra tueri aduersus vim atque iniuriam, iusta vi non vultis, vestra certe defendetis. Itaque populum Campanum urbemque Capuam, agros, delubra, Deum, diuina humanaque omnia, in vestram patres conscripti populique romani deditioem dedimus, quicquid deinde patiemur, dedititii vestri passuri; quarum et plures exhibet BRISSONIVS<sup>q)</sup>, sub iugum mittebantur, quem ritum DIONYSIVS<sup>r)</sup>, ita describit: *est autem romanis mos, quoties hostes traditis armis, deditioem faciunt, duo tigna recta humi defigere hisque tertium transuersum super imponere captiuosque sub ista tigna ductos transmittere, atque liberos ad sua dimittere, et ut cum Liuiio apud**

S I G O -

- l) BERGER Oeconomia Iuris lib. I Tit. II. not. 2.  
 m) THEOPHILVS Paraphras. Inst. lib. I. tit. V. §. libertorum autem etc.  
 n) GELLIUS Noct. Attic lib. VII. Cap. IV.  
 o) IUL. CAESAR de bello ciuil. lib. III. et de Bell. Gall. lib. 3.  
 p) AERODIVS in rerum iudicat. 7. lib. III. Tit. V. Cap. 3.  
 q) BRISSONIVS de Formul. et Solem. Pop. Rom. IV. pag. 354.  
 r) DIONYSIVS Halicarnas. Antiquit. rom. lib. III. pag. 154.



SIGONIVM<sup>s)</sup>, loquar, iniquissimo foedere cum populo romano coniungebantur; dein et libertinos ex Capite I. Legis Aeliae Sentiae, vti eandem restituit HEINECCIUS<sup>t)</sup>, auctore AV-  
GVSTO<sup>u)</sup> Anno Urb. condit. DCCLVI.<sup>x)</sup> latae, vtrique  
autem ea utebantur conditione, vt neque commerciorum nec man-  
cipationum nec connubii<sup>y)</sup>, nec testamenti factionis<sup>z)</sup>, parti-  
cipes essent, nec vnquam ad ciuium romanorum conditionem ad-  
spirare possent<sup>a)</sup>. Praeterquam vero, quod dedititiorum con-  
ditio iam dudum ante Iustiniani tempora in desuetudinem iuerit,  
quod non solum IUSTINIANVS<sup>b)</sup> probat, aiens, *dedititio-  
rum quidem pessima conditio, iam ex multis temporibus in desuetu-  
dinem abierat, latinorum vero nomen non frequentabatur*, quod et ex  
TACITO<sup>c)</sup>, qui duo tantum libertinorum genera refert, con-  
iecturare licet, et cum dedititiis populis ciuitatem communicauerit  
ANTONINVS<sup>d)</sup>, imo nisi idem<sup>e)</sup> Iustinianus tamen omne inter  
ingenuos atque libertos sustulerit discrimen<sup>f)</sup>, vt illorum tempo-  
rum iura plane abrogata sint, videamus, an minimam dedititio-  
rum in hominibus propriis apprehendere possimus similitudinem?  
Ego nullam inueuo, differunt enim et in origine et ipso statu.  
Fiebant enim dedititii illi, vel spontanea sui ipsius deditione, et  
retinebant libertatem, vel manumissione, qui libertorum condi-  
tionem consequiebantur. Priorem vero hostium deuictorum sub  
iugum

s) SIGONIVS de antiquo Iure Italicae lib. I. Cap. I.

t) HEINECCIUS Syntagn. Antiquit. Rom. Lib. I. Tit. VI. §. 12.

u) SVETONIVS in Augusto XL. Dio Cass. LV. 556.

x) CAMPIANVS de Officio et potest. magistrat. romanor. pag. 121.

y) SIGONIVS de antiquo Iure Pop. Rom. lib. II. Cap. 14.

z) CAIVS Instit. lib. I. tit. I. §. 5.

a) ALCIATVS Parerg. Cap. 16. Caius in Inst. loc. cit. et Suetonius loc. cit.

b) §. 3. Inst. de libertinis.

c) TACITVS Annal. lib. XIII.

d) HEINECCIUS cit. loc. Append. I. Cap. VI. §. 134.

e) Ill. HOMMELII Diss. de vsu hodierno distinct. hom. in ciues et peregrinos §. 6.

f) in Tit. Cod. de dedititia libertate tollenda, et de latina libertate tollenda.



iugum missionem nunquam seruarunt veteres Germaniae populi, sed deuictos abducebant in seruitutem, testis est Seneca et Tacitus, quosque in testimonium vocat POTTGIESSER<sup>g)</sup>, et quis est quem fugeret pugna illa Chlodouei I. Francorum regis ad an. Ch. 599. ad Tolbiacum Vbiorum vicum pugnata, qua multa Allemannorum millia seruituti subiiciebantur. Imo haec victos in seruitutem detrudendi consuetudo, nisi ad finem Seculi XV. certe vsque ad annum 1412. durauit, vlti enim eo tempore sunt equites Teutonici ordinis cladem iniuriamque illis ab Lithuanis illatam, magnumque eorum numerum in seruitutem abduxerunt, probante DVSBURG<sup>h)</sup>. Quod vero manumissionem particularem attinet, hanc quidem nunquam ignorarunt germani, occurrit nobis manumissio antiqua per denarium, post in ecclesia, per testamentum, per chartam et quae sunt reliquae, neque me fugit, viguisse quondam manumissionem in Germania conditionatam, imo libertos conditione longe deteriori ingenuis, et ratione poenarum matrimonii, testimonii dictione et aliorum iurium, quae late pertractauit POTTGIESSER<sup>i)</sup> vsos esse, atque quodammodo cum hominibus hodiernis, quos vocamus rusticos, conuenire; at si liberti germanorum et rustici in nonnullis accedunt ad conditionem deditiorum romanorum, eo ipso a seruis differunt, quia et serui et liberti et rustici differunt in se. Praeterea et insignis haec inter dedititios atque libertos vel maxime rusticos intercedit differentia, quod illi nunquam, hi vero semper ciuium iura consequi possint<sup>k)</sup>. Sed iam inuenio constitutionem Seculi XIII. a Friderico II. Imp. Equitibus Teutonici ordinis missam, quam integram exhibet SCHVRTZFLEISCH<sup>l)</sup> nos vero verba, quae huc faciunt, adiiicimus: „notum fieri volumus vniuersis, - - ad nostram - - notitiam

g) POTTGIESSER de Statu Seruor. lib. I. Cap. I. §. 10.

h) DVSBURGI Chron. Pruss. Par. III. Cap. 339. et 354.

i) POTTGIESSER loc. cit. lib. IV. Cap. 14. §. 11.

k) Idem lib. I. Cap. II. §. 93.

l) SCHVRTZFLEISCH Mantiss. Diplom. ad Historiam Ensisferorum.





„tiam peruenisse, quod quaedam gentes - - inspirante diuina gra-  
„tia - - expulsa de cordibus eorum superstitionis caligine - - -  
„ab infidelitatis errore *discedere cupiunt*, et ad veri Dei cultum et  
„catholicae fidei vnitatem *accedere sunt parati*, ob illius tantum,  
„id facere differentes, timorem, ne post susceptionem fidei per prin-  
„cipes orbis, libertates eorum ad seruitutis onera deducantur.  
„Cumque penitus censeamus indignum - - vt libertatis - - priui-  
„legium et fauorem, quae per fidem meretur, amittat, ea omnia  
„praeuenienda duximus de gratia speciali. Et ecce, quod vni-  
„uersos et singulos eorum, *ad susceptionem catholicae fidei venien-*  
„*tes* post susceptam fidem, cum omnibus bonis eorum sub nostra  
„et imperii protectione et speciali defensione suscepimus et prae-  
„sentis scripti auctoritate, plenam iis et haeredibus eorum *intuitu*  
„*fidei* concedimus et confirmamus perpetuo libertatem, nec non  
„*omnes immunitates, quibus vti consueuerunt, priusquam conuerte-*  
„*rentur ad fidem*. Eximimus insuper eos etiam a seruitute et iuris-  
„dictione regum - - praesenti fancientes edicto, vt nonnisi sacro  
„sanctae matri ecclesiae ac rom. imperio, quemadmodum alii liberi  
„homines imperii teneantur.„ Sissitne haec constitutio populos,  
cumque sit generalis, omnes reliquos seruos, dedititios? fuerunt  
antea hostes, manus dederunt et in fidem accepti retinebant liber-  
tatem. Error est, haec enim constitutio neque manumissionem  
generalem, quam nonnulli ex ea euincere conantur, neque dediti-  
tiorum conditionem arguit. Concedit enim imperator his genti-  
bus *libertatem tantum intuitu fidei*, dein omnes immunitates, qui-  
bus antea vsi fuerant, priusquam ad fidem conuerterentur, nec no-  
uas; dederunt et propterea hae gentes se nunquam tanquam ho-  
stes, nec de victis sermo est, sed de iis, quae sponte *ab infidelita-*  
*tis errore discedere cupiebant et parati erant accedere ad fidei vni-*  
*tatem sed timore, ne per fidei susceptionem seruitutis iugum subirent,*  
*eam differebant*. Nec vllam seruitutis speciem abrogauit et nequi-  
dem illam, quae ex captiuitate oritur, quod supra dicta testimonia de  
Lithuanis probant. Sed et si omnia concederem, harum tamen

E

gentium



gentium conditio et a deditiorum et seruorum statu maxime distaret. Serui enim tunc nacti, populique deuicti retinissent libertatem, fruarentur omnibus immunitatibus aeque ac liberi, imo speciali imperii protectione, dedititii autem libertate quidem gaudebant nullis vero ciuium iuribus et nequidem ad plenariam ciuium libertatem adspirare poterant. Quis vero seruos nostros domino speciale iuramentum, gallinas, mortuarium obedientiamque praestantes, alienationique vindicationi et dominorum coercitioni subiectos, liberos appellaret? Aut itaque dicta constitutio, nihil de seruorum statu disposuit, aut nunquam auctoritatem obtinuit. Quod deinde statum deditiorum seruorumque attinet, et in eo maxime discrepant. Praetermitto et mancipationes et connubii iura, mancipationis enim ritum ex sola romanorum politia profluentem nunquam receperunt, multo minus inter connubium contubernium matrimoniumque distinxerunt germani, nec commercia vrgeo, quamuis nobiles ingenuosque ea nunquam antiquis temporibus exercuisse et ignominiosa reputasse, exinde appareat, cum mercatura et hodie nobilitatem tollat<sup>m</sup>), nec testamenti factionem, qua hodie serui plerisque locis imo et in Pomerania Westphalia et Mecklenburgicis terris, quod contra Lauterbachii assertionem BALTHASAR<sup>n</sup>) demonstrauit, quamuis restricta quadam ratione, vtuntur, sed haec tantum adiicio, quod dedititii fuerunt et ingenui et liberi, seruis parendi gloria relicta est, illi pessima conditione moriebantur, hi praecedente manumissione, ad opificia omniaque reliqua ciuium iura adspirare possunt.

### §. VIII.

*Consult. Balthasari opinio reiicitur.*

Iam vero aliam cum Conf. BALTHASAR pugnam pugnabo, contendit hic *homines proprios, qua statum suum, reuera liberos esse*  
homi-

m) Consult. BREVNING diff. de nobili non mercatore.

n) BALTHASAR diff. de iure Hom. proptiorum. Parte II. §. 4.



homines<sup>o</sup>), et ad Cap. II. §. 3. primae suae dissertationis eiusdem argumenti prouocat, ibique hoc probasse, arbitratur. Sed doleo inuitam mihi hunc libellum denegasse Mineruam, leuiori tunc fortasse opera contrarium demonstrare possemus, interim tamen paucis argumentis illius assertioni, quam olim et THOMASIVS<sup>p</sup>) Rhetii fortasse suasu defendit, hacque derelicta seruos adscriptitiis<sup>q</sup>) annumerauit, at post accuratori legum germanicarum notitia imbutus ad frugem rediens, homines proprios veros esse germaniae seruos eleganter docuit<sup>r</sup>) obuiam eo. Sibi ipsi quidem Vir consultiss. contrariatur in Cap. V. §. 4. laud. Diss. aiens *Fundamentum operarum vnice quaerendum esse in iure et indole mancipatus seu seruitutis in den Recht der Leibeigenschaft, quod domino in personam rustici eiusque res competit*: attamen contrarium et ex denominatione seruorum et ex eorum statu probaturus sum. Expresse enim dicuntur serui a TACITO<sup>s</sup>) in decretione Childeberti regis Francorum de an. 595. Cap. IV: *si serui ecclesiarum aut fiscalini furtum admiserint, similem poenam sustineant sicut et reliquorum serui francorum*, in Capitul. Caroli M. Leg. Longobard. addit<sup>t</sup>). Seculo X, ab Ottone Imp. qui 966. ecclesiae Magdeburgensi praedium donauit cum seruis regiis seruis censualibus et seruis cotidie seruientibus<sup>u</sup>), et ab Henrico II. seculo XI. in Diplom. apud LEVCKFELD<sup>x</sup>) et Conrado II. y) Seculo sequenti ab Ot-

E 2 tone

- o) BALTHASAR de origine statu et Condit. hominum Propriorum in Pomerania Disp. II. Cap. IV. §. 1. et 2.  
p) THOMASIVS de iure circa frumentus Disp. II. Cap. 5. n. 9. seq.  
q) THOMASIVS Not. ad Strauch Ius Instin. Disp. I. Thes. 16.  
r) THOMASIVS de hom. propr. et liber. Germ. §. 59. seq. id. Not. ad Institut. lib. I. Tit. 3. et 8. id. de Vf. pract. distinct. hom. in lib. et seruos Cap. I. §. 17. et Cap. II. per tot. nec non in Vf. pract. Tit. Inst. de his qui sui vel alieni Iuris sunt Cap. 2.  
s) TACITVS de Mor. Germ. Cap. 25.  
t) Lex Longobard. lib. III. Tit. 28.  
u) SAGITTARIJ Antiquit. Magdeburgens. §. 125.  
x) LEVCKFELD Append. III. ad Antiquit. Boeldens. pag. 251.  
y) Annal. Gernrodens. ap. Meibom. Tom. II. pag. 429.



tone IV. in Diplom. apud. M E I B O M. <sup>2)</sup> Seculo XIII. in Chron. Radstedenfi <sup>2)</sup> et Annal. Corbeiens. <sup>b)</sup> Seculo XV. in Chron. Epic. Mindensium <sup>c)</sup> Seculo XVI. in Chron. Clusino <sup>d)</sup> et nouissime seculo XVII. in instrumento pacis Monaster. <sup>e)</sup> nec non mancipia in Dipl. Theodorici regis francorum de an. 660. <sup>f)</sup> et Ludouici regis Germ. <sup>g)</sup> et Caroli Simplicis de anno 905. <sup>h)</sup> Ottonis I. de anno 959. <sup>i)</sup> imo Seculo XIV. ex conuentione Episcopi Baderbornensis et Abbatis Corbeiensis supra Castro Beuerungen anno 1332. facta, vt probauit et pluribus adductis locis illustrauit POTTGIESSER <sup>k)</sup>. Veniunt et sub nomine seruorum priorum in Capit. Ludouici Pii de an. 805. et seculo XII. *ministerialis Gotes Malcus tradit propriam ancillam nomine Adelheit cum omni posteritate etc.* <sup>l)</sup> et variis legibus <sup>m)</sup> quas omnes allegare superfluum videtur: homines appellantur et idiomate germ. *Leute, Gottes Hausleute, Altar Leute etc.* imo et homines proprii in Constitutione Henrici VI. de an. 1190. Friderici II. de an. 1232. Wenceslai de an. 1398. <sup>n)</sup> cetera erudite exposuit BOEHMER <sup>o)</sup> et POTTGIESSER <sup>p)</sup>. Nomina autem sequentia magis probare videntur corporis nexum, cum nomine insigniuntur *der geeigneten Knechte* <sup>q)</sup> *der Halfseigenen* de quibus

- z) ap. Meibom. Tom III. pag. 158.  
 a) apud eund Tom. II. pag. 86.  
 b) apud LEIBNIT. Scriptor. rer. Brunswic. Tom. II. pag. 312.  
 c) WOLTERI Chron. Bremens. ap. Meibom. Tom. II. pag. 72. in Dipl. Gandersheim. et Chron. Mindens. apud Leibnit. Tom. II. pag. 157. et 377.  
 d) HODONIS Chron. Clusinum ap. Leibnit. Tom. II. pag. 363.  
 e) Instrument. Pacis Monaster. Art. V. §. 36. et 12.  
 f) MABILLON. de re diplomat. lib. V. num. 13.  
 g) ap. R. P. PEZIVM Tom. I. Part. III. Anecdote.  
 h) MABILLON. loc. cit. lib. VI. num. 122.  
 i) CH. HARTMANNI Annal. Heremi. pag. 62.  
 k) POTTGIESSER loc. cit. lib. I. Cap. 4. §. 71. pag. 259. seq.  
 l) Cod. Tradit. St. Emmeram. Cap. XCVIII.  
 m) Verbi causa Lege Ripuar. Tit. 10. et Capit. huic leg. addit. Cap. X.  
 n) Defensio Iuris Palat. in hom. propr. Part. I. Cap. III. §. vlt.  
 o) BOEHMER de hom. propr. Sect. I. §. 15.  
 p) POTTGIESSER loc. cit. §. 56.  
 q) STVMPFIUS Chron. Heluet. lib. IV. Cap. 27.



quibus POTTGIESSER <sup>r)</sup> varia diplomata imprimis vero transactionem Brunfwicenfem et Hildesheimenfem de an. 1622. collegit: *der Leibeigenen* <sup>s)</sup>, quam vocem huic generi hominum communem esse WEHNER <sup>t)</sup> affirmat, *der eigenen Leute* in Constitutione Henrici VI. vbi legimus *irre eyginen Lute, die gegenote in die Stette gezogen find.* <sup>u)</sup> Domini vero illorum appellantur, *der Leibherr*, <sup>x)</sup>, *Halsherr* <sup>y)</sup>, *Erbherr* <sup>z)</sup>. Quaeso itaque qua possunt dici ratione *Halsh- und Leibeigene*, si sint persona liberi, praediorum intuitu seruitia saltem praestantes, certe ni omnia me fallunt, ex eo denominandi essent *Erdeigene*. Dein si gleba sit causa seruitutis nemo existere potest homo proprius, nisi praedium possidet. Sunt itaque liberi ex seruis nati, parentes simulac liberis vel aliis praedia tradiderunt, orphani, ii, qui relictis praediis solius habitationis causa in pagis resident, et *Auszugsleute, Hausleute* audiunt eorumque liberi post praediorum traditionem nati, imo et ii, qui redditibus praediis omnibusque quae domini sunt, aufugiunt, liberi? cedente enim causa et cedere debet effectus: noua sapientia. Nec alia demonstrant domini in seruos competentia iura, inter quae eminent seruorum vindicatio, manumissio et alienatio, quae domini et iure antiquo et hodierno suo quasi iure exercent, quamuis posterior species certo modo restricta sit; quo vero iure seruus vindicari et alienari potest? nisi ipse quoad suam personam in dominio sit constitutus, et quid opus est manumissione in libero? Sed vix est, vt diutius inani huic sententiae immoremur.

E 3

§. IX.

r) POTTGIESSER loc. cit. §. 48. et 49.

s) Recessus Imp. de anno 1555. §. *Wo aber unsere etc.*

t) WEHNER Obseruat. pract. voce *Leibeigenschaft* pag. 473. und *Mannrecht*.

u) WENCKER Disp. de Vsburgeris. pag. 12.

x) SPEIDEL in Specul. voce *Leibherr*.

y) RHEM diss. de Statu et Iure hom. propriorum §. 21.

z) SPEIDEL loc. cit. voce *Erbherr*.



## §. IX.

*Indagata huius sententiae causa locus Ordinatus Subditorum Lusat. Sup. interpretatur.*

Communis vero huius erroris causam inuestigaturus, falsam sibi semper constituisse interpretes seruitutis notam, imprimis perspicio, quam mox in mortuarii praestatione uti BERG<sup>a)</sup>, alii in iure vitae et necis, alii in acquisitione per seruos, inuenisse reputarunt, sed malle consulissent THOMASIVM<sup>b)</sup>, strenuum rerum germanicarum inuestigatorem et qui eum sequitur POTTGIESSER<sup>c)</sup>, qui nos primus solam proprietatem seruitutis criterium esse, docuit. Videtur tamen longe deteriorem, quam par est, seruis assignasse conditionem clarissimus auctor, cumque hos in classem rerum refert, sententiam iuris patrii rationibus, ut vulgo asserunt, quod nullibi seruos rebus accenset, contrariam affirmare. At non solum res salua esset etiamsi huic sententiae repudium mitteremus, cum regula, homines non esse in commercio, iuri romano originem debeat, dein homines, hoc loco liberos significant homines, quod patet ex Pomponio, qui scripsit lib. IX. ad Sabinum: Celsus filius ait, *hominem liberum scientem te emere non posse* et ex DIOCLETIANO et MAXIMILIANO<sup>d)</sup> qui A. A. et C. C. Rufo rescripsit: *qui filios vestros vel liberos homines, pro pecunia, quam vobis credebat, pignoris titulo accepit, dissimulatione se iuris circumuenit, cum sit manifestum etc.* Saepe etiam romani hominibus, seruos opponebant, quare IUVENALIS<sup>e)</sup>, inquit: O demens! ita seruus homo est: Sequebantur itaque romani naturam, nihil in commercio esse posse, quod non in dominio sit, rite concludentes, liber vero homo in dominio alterius esse non poterat, quia

- a) BERG Disp. de hominibus propriis. pag. 15.  
 b) THOMASIVS de hom. propr. et liberis germ. §. 30. pag. 16. et de Vsu pract. dist. hom. in liberos et seruos Cap. I. §. 8.  
 c) POTTGIESSER loc. cit. Proleg. §. 14. pag. 17.  
 d) in leg. 6. Cod. quae res pignor. vel Hypothec. dari possunt.  
 e) Iuvenal. Satyr. VI. v. 221.



quia dominium libertatem tollit, ita per consequentiam eum commercio eximebant, quod et nos defendimus; sed iam de liberis non disputamus, sed de seruis et quidem germanicis, in quibus omnis, quae extat, doctrina iuris romani exulat. Sed et recte auctor iudicauit, res enim est auctore PAVLO<sup>f)</sup>, omne id, quod in patrimonio nostro esse potest, iam apprehendo regulam istam generalem: quicquid iure alienari et vindicari potest, est in dominio, quicquid in dominio existit, est res, res enim et pecuniam sub se comprehendit, cum itaque seruus iure et alienatur et vindicatur, sequitur, ut et in dominio constitutus sit, ergo et in classe rerum versetur. Nolem tamen hoc vniuersaliter affirmare, sed tantum de seruo in relatione quatenus consideratur erga dominum, respectu vero reipublicae et aliorum, personam sustinet, quemadmodum et filius familias apud romanos. Dein et scrupulum interpretibus iniecit videtur dispositio iuris Lufatici<sup>g)</sup>, quae his verbis constat: *Nachdem sich es befindet, das zuweilen von denen Herrschafften, der Sachen bald zu viel, bald zu wenig beschiehet, öfters auch die Untertänigkeit mit der Dienstleistung bishero unnöthig vermengen worden, gleichwohl aber die Untertanen, wie bey diesen Marggraffthum Ober-Lausitz beständig hergebracht, nicht nach Art und Weise wie die Knechte in denen Römischen-Rechten dienstbahr und leibeigen, sondern ihren Grund und Boden dergestalt besitzen, das sie hiervon denen Herrschafften ihre schuldige Dienste zu leisten, dargegen ihren notdürfftigen und gebührenden Unterhalt von dem Grunde, so sie besitzen, zu suchen schuldig; und weilen sie gestalten Sachen nach denen uffem Grund gewidmeten gleich zu achten und daher weder gänzlich frey, noch gänzlich dienstbar seynd; Audaci enim fronte, tanquam ex tripode euocat SCHACHER<sup>h)</sup>, ex his*

f) leg. 5. π. de V.S. et quae habet Gaeddeus ad d. leg. pag. 136. num. 6. seq.

g) Confirmation über dem von gehorsamsten Ständen von Land und Städten eingeschückten Bedencken die Untertanen etc. etc. betreffend, in Corp. Iur. Lufat. pag. 380. Art. I.

h) SCHACHER diff. de hom. glebae adscriptis Lufat. Sup. apud Hoffmann Script. Lufat. Tom. IV. pag. 184.



*verbis patet, luculenter, ut non pro seruis et hominibus propriis habeantur; optarem vero probasset consultiss. aduersarius differentiam inter homines proprios et germaniae seruos, nullam dari infra ostensurus sum. Dein nimis liberali manu omnes, qui vnquam in vrbe fuerunt, seruos, Roma excepta, in libertatem asserit, certe ex huius viri opinione sequitur, nec ante imperii romani originem nec post illius interitum, extitisse seruos, quisquis enim non more romanorum seruit dominoque obnoxius est, seruus dici nequit nec seruit. Sic nunquam Assyria, Aegyptia, Graecia nec hodie Polonia, nec Turcia nec vlla alia gens seruos aluit, nam more romanorum non seruiuerunt; sed hanc ridiculosam sententiam iam notauit doctiss. MEISNER<sup>i</sup>). Attamen non negauerim cit. Art. multum obscuritatis atque difficultatis in se continere, fundum enim causam esse operarum, horumque hominum conditionem adscriptitiam, et inter seruos liberosque quasi fluctuantem, indicare videtur, sed quod ad operarum praestationem attinet, duplex earum fundamentum est, possessio scilicet fundi, et proprietas qua homines proprii dominis obnoxii sunt, eleganter hoc glossa WEICHBILD<sup>k</sup>), his verbis illustrat: *Zu einer Auflösung solt ihr wissen, dass etlicher Dienst liegt auf den Manne, etlicher auf den Gut, der Dienst, der auf den Manne liegt, der macht ihm eigen und heisset davon Seruus, und der Dienst der da auf einen Gut liegt, macht einen nicht eigen, davor muss aber der Mann dienen, dem, des das Gut eigen ist, darumb dass er das Gut halten will, et ex antiquitate iam ad nos peruenit seruorum diuisio in casatos et non casatos siue gasindos, de quibus illustr. BOEHMER<sup>l</sup>); qui posteriorem quidem speciem Seculo XIII, ab vsu recessam affirmat §. XV. at ei respondit Consult. POTTGIESSER<sup>m</sup>), nec quemuis legisse poenitebit Consul. BREVNINGIVM<sup>n</sup>), de prioribus citat.**

textus

- i) MEISNER de ortu et progressu Seruitutis Cap. III. pag. 63.  
 k) Glossa ad WEICHBILD. Art. III. §. 3.  
 l) BOEHMER de hom. propr. a seruis etc. Sect. I. §. VI.  
 m) POTTGIESSER loc. cit. lib. I. Cap. IV. §. XLII. seq.  
 n) BREVNING Diss. de Gasindis hodiernis ex lege des Dienstzwanges.





textus, de posterioribus autem agit *die Gesinde-Ordnung*<sup>o</sup>). Ipsa vero haec verba nihil aliud mihi euincere videntur, nisi quae iam scripsit Tacitus: suam quisque sedem suos penates regit frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis, vt colono iniungit, et seruus haecenus paret. Studet quidem FELTMANN<sup>p</sup>), ex iisdem verbis, seruos germaniae seruos non esse, probare, at vix feliciori successu quam modo refutatus SCHACHER. Duplicem itaque seruitii casatorum causam statuimus, quemadmodum et vnus effectus plures esse possunt causae, quarum altera in praedio, altera in proprietate consistit. Praestant itaque casati ex dispositione huius textus seruitia secundum qualitatem praediorum, sed et alio modo seruiunt, puto ex ratione status seu subiectionis, ad quod iure Lusatico *das Botbenlauffen*, vigilias, aliaque referrem. Alteram vero seruitii causam, alleg. textus, obligationes casatorum solummodo concernens, ea ratione, quod haec et casatis et non casatis communis est, omisit. Casindi econtrario ob solam proprietatem seruitiis obnoxii, nunquam quidem talia, qualia subeunt casati, operarum genera praestant; neutiquam vero ob illam causam, quod nulla possident praedia, ad omnia enim, nulla habita praediorum ratione, ad nutum domini peragenda obligati sunt, sed quia iis destituuntur subsidiis, quibus casati instructi sunt; simulac itaque dominus casindis, equos, boues et instrumenta, ad agriculturam idonea tradit, et hi aequae ac casati, aratro, et curru seruiunt; Praeterea haec lex, nullibi praedium seruitutis esse causam, statuit, sed operarum, casatarum scilicet, magis vero verba, *dass die Unterthänigkeit mit der Dienstleistung vermengert worden* nostram firmat sententiam, imo si hermeneuticae rationes sequimur, sequentia articuli verba, *diejenigen so unter einer fremden Herrschafft gebobren etc.* praedii possessionem seruitutis fundamentum non esse, clare demonstrant, quod Ordinat. Subdit. Lusat. Infer. Tit. 7. §. 12. verbis *da auch künstig durch Krieg - - einer in solche Armuth*

o) *Gesinde-Ordnung des Murggrafthums Ober-Lansitz* Iohann George III. in Corp. Iur. Lusat. Super. pag. 417.

p) FELTMANN de Iure in re et ad rem Cap. VI. §. 9.



gerathen solte, dass er - - sein Guth oder Garten unbeschückt stehen lassen müste und ihm nicht alsobald von der Obrigkeit Beyhülffe gethan, und bey seinen Gut zu bleiben Vorschub geleistet oder andere Mittel verschaffet würden - - soll er doch nicht befugt noch befreyet seyn, sich also fort in andere Gerichten zu wenden oder in Dienst zu begeben, sondern verflüchtet verbleiben seiner Obrigkeit nebst und mit den seinigen auf Begehren vor allen andern in ein und andere Weise zu dienen, confirmant. Nec sub verbis denen auf den Grund gewidmeten gleich zu achten, adscriptitios vel colonos romanorum sed rusticos germaniae intelligerem, quaemadmodum enim vnica seruitutis nota in proprietate, ita rusticorum in nexu cum gleba consistit, cuius intuitu, glebae domino obligati, ad operas adstringuntur, cum e contrario serui praeter nexum inter hos dominosque ratione glebae coincidentem, et corpore dominis obnoxii sunt, quare lex recte disposuit: *dass sie denen auf dem Grunde gewidmeten gleich zu achten*, indicans, seruos rusticorum quidem ratione praestationis operarum, praediis inhaerentium, esse similes, attamen non vere rusticos propter interuenientem proprietatem, rustico enim similis, rusticus non est, quod et vltima huius Articuli verba, *dass sie wegen deren Diensten die sie denen Gütern auf welchen sie gebahren; oder sich sonst dahin sesshaft gemacht, zu leisten schuldig*, vor ein zugehörig Stück derselben zu achten, innuunt. Ita et verba *dass sie weder frey noch gantzlich dienstbar seyn*, quamuis laudatissimus Z.<sup>q)</sup> his commotus, mixtam quandam hominibus propr. assignauerit naturam, cui vero iam satisfecit consult. RICHTER<sup>r)</sup>, nostrae minime obstant interpretationi. Serui enim nostri Lusatiae superioris hodierni, quatenus praediorum intuitu seruiunt, vt reliqui ex grege rusticorum, exceptis *denen frey Bauern* imperfecta quadam vtuntur libertate, et in hac relatione considerati dicuntur, *dass sie nicht gänzlich frey sind*, quatenus vero dominis opponuntur, veram seruitutem seruiunt, attamen

q) v. Z. Introductio in Ius Electorale et commune Sax. lib. I. Tit. 2. §. 5.

r) RICHTER Diff. de Marchionat. Luf. Sup. Iure singulari homines proprios monumissos reuocandi, Sect. I. §. IX.



men, cum et sint subditi et partes reipublicae, dominorumque potestas vsque adeo procedat, ne membro reipubl. plane abutantur, damnumque inde sentiat res publica, accurate ait legislator feren. *dass sie nicht gänzlich dienstbar seyn, sed in limitata quadam seruitute degant, quamuis et restricta seruitus, seruitus sit.* Ita interpretandam censeo citatam legem. Si tamen dicendum sit, quod res est, ego hunc textum magis ad rusticos, nam et in Lusatia quidam rusticorum iure vtuntur, quam ad homines proprios pertinere, arbitror, cum ne verbo quidem nexus personalis mentio facta sit, quem tamen reliquae, quae extant de seruis Lusatiae leges, satis demonstrant,

## §. X.

*Origo hominum propriorum Lusatiae indagatur.*

Sed iam ad vltimam eamque grauissimam huius dissertationis quaestionem, ea adactus opinione, ne causam plane inutilem pertractasse videar, peruenio; vtrum homines proprii, originem antiquis germanorum seruis debeant et vere serui sint? Res omnibus probante Estore, Pottgieffero, et Boehmero, indubitata videbatur, at nuperrime litem mouit Consult. RICHTER<sup>s)</sup> vir rerum forensium praeprimis Lufaticarum longe peritissimus, hunc itaque Boehmerum, et qui eum sequuntur, defensurus, aduersarium, aequali ingenio ac iuris peritia ornatum, nanciscor, sed facilis inter nos erit pugna, cum exemplo Ant. Goueani Icti Hispani in refutatione Eguinarij Baronis libri de iurisdictione, me ipsum praestanti huius viri ingenio atque excellenti doctrina superari fateor, et non tam animo quam iudicio ab illo dissentio. Negat vero vir consult. §. I. allat. Disp. homines proprios, antiquos germaniae seruos, illosque ex his ortos esse, imo homines proprios diuersum seruorum genus §. 6. et paulo post diuersam speciem constituere, affirmat. Mihi quidem vox *Genus* typographi fortasse incuria §. 6tam irrepsisse videtur, quia sibi alias doctissimus auctor non solum in eadem Spho sed et in ipsa definitione, quam vocat, vt et §. nona, contradiceret, cum-

s) RICHTER Disp. cit.



que ipse, homines propr. seruos esse, defendam, omnis lis sopita esset, nisi partim doctiss. aduersarius in sequentibus in alia omnia decedens, tot seruorum et hom. priorum constitueret differentias, vt vix similitudinis vmbra inter hom. propr. seruosque remaneret, quarum fundamenta tamen perspicere nequeo, partim vero, ipse, cum adeo ingenio praestat, vltiori cum illo disceptandi libidine flagrarem. Sed videamus eius argumenta: Ait vero Vir Consult. *Homines proprios diuersa quadam a reliquis Germaniae seruis vti indole, neque enim Tacitus, nec leges Allemannorum, Boiuuuariorum, Burgundionum et Longobardorum, uec scriptores aetatis Carolingicae nec Francorum, eorum fecissent mentionem.* Omnia haec largior, at quis vnquam quaeso, alia seruorum offendens nomina, ipsam seruitutem mutatam sublatamque vel nouam aliquam ortam esse, censeret? si quoties nouas inuenimus seruorum appellationes, nouam quoque seruorum speciem indolemue fingere licet, innumerabiles certe extiturae sunt seruorum species. Sic tutus affirmo seculo XI. duos extitisse seruorum ordines, seruos scilicet proprie sic dictos et famulos, reprehendit enim Paschalis II. Papa, qui vixit tempore Henrici IV. circa an. Ch. 1099. <sup>t)</sup> Episcopum Parisiensem Galonem eiusque Clerum, quod ecclesiae homines seruos dicerent, mauultque eos famulos appellari, scribens: *Famulos ecclesiae, qui apud vos serui vulgo, improprie nuncupantur.* Constat Aldios seu Aldiones, Lassos, probante BOEHMERO <sup>u)</sup> fiscalinos, et alios fuisse seruos, nec tamen eorum mentionem fecit Tacitus, quare et GUNDLING <sup>x)</sup> cum Thomasino omnes recte taxare videtur, qui ex immutatione seruorum nominum eorum indolem mutatam iudicant. Dein quod auctor affirmat: *indolem hominum priorum a seruis germ. Taciti et Francorum aevi diuersam esse,* adhuc probatione eget; vera enim serui natura in proprietate et subiectione corporis, quod ipse auctor non negat, consistit, hanc vero et in seruis antiquis et hodiernis inuenio, quod vero in

acci-

t) FREYMONIUS Symphonia vtriusque Imp. pag. 912. et 13. Col. 2. *Schmaus Reichshistorie* Period. V. pag. 150. Vitae Pontificum Roman. vero eundem an. 1100. pontificem electum tradunt.

u) BOEHMER Disp. de imperfecta rusticorum libertate §. VII. pag. 19.

x) GUNDLING in Gundlingian. Part. X. Num. III. de coniugio Seruorum §. 20.



accidentalibus quibusdam quamuis minimis, vt infra patebit, differant, ego quidem concederem; sed accidentalia, rei essentiam non mutant. Praeterea et *conditionem seruorum seculi istius i. e. XII. talem non fuisse, qualis imposta fuerit hominibus propr. constanter nego, sed de hac re in fine Sphi dicendi locus occurrit. Pergit vero §. III. a Francis seruorum indolem translata[m] dici non posse, quod ipsimet Franci, quod sint homines proprii, ea aetate nondum sciuisent, nec serui ex antiqua progenie orti, in Francorum ditioribus tales, quos homines proprios vocamus, nulli, sed in iis tantum regionibus, quales Slauis inhabitauere, vel in quas deuicti translati sint, reperiantur.* Quamuis vero Franci vocem hominum propr. ignorauerint, cognouerant tamen seruorum naturam, homines vero propr. seruos esse ipse Consult. auctor §. VIII. et IX. probauit, nullo itaque modo Francos rei ipsius notio fugit, sed eandem rem Francorum aetas seruorum voce insigniuit, quam posterior, homines proprios appellauit, nisi itaque inani insistamus logomachiae, hoc argumentum nihil facit ad rem. Ita et Franci semper suos sibi habuerunt homines proprios re tales, quamuis carebant nomine. Dein plane nego vltimum doctissimi aduersarii argumentum, sunt enim quaedam regiones, in quas Slauis translati sunt, vt Polonia, de quibus HELMOLDVS<sup>y)</sup> scripsit: *Slauos propter annonae penuriam et agrorum desolationes, tanta inedia confectos esse, vt congregatim ad Pomeranos siue Danos confugere cogerentur, quos illi nihil miserantes, Polonis Sorabis atque Bobemis vendiderunt, nulli tamen in ea homines proprii nomine tales existunt.* E contrario in iis, quas Slauis possederunt, terris, vt in Lusatia, homines proprios reperimus, qui originem neutiquam Slauis debent, quis enim dubitaret, nouos Lusatiae incolas et suos, quos antea possiderunt, seruos, in hanc transtulisse, quisue ignorat, et veterem et hodie adhuc vsitatum, seruitutem per pactum atque matrimonia contrahendi modum, quo liberi et germanicae originis homines, variis adacti necessitatibus sponte seruitutem subeunt? nihilominus tamen homines proprii dicuntur. Vt vero suam corro-

F 3

boraret

y) HELMOLDVS in Chron. Slauico lib. II. Cap. V.



boraret sententiam, quasdam in medium producit differentias, inter homines propr. seruosque antiquos intercedentes, differunt enim, inquit vir Consult. homines proprii a reliquis Germaniae seruis, et quidem a Polonis, qui Kmedones audiunt, I. quod hi sint serui exterorum, adeoque proprii nostri homines esse nequeant, II. Nomine, neque enim Taciti, neque Francorum aevo, neque post illos Hominum propr. nomen in diplomatibus inueniretur. III. Origine, constaret enim, seruos quos germani praeter Homines propr. aut vnquam habuerint, vel ex ipsis germanis, vel aliis populis, cum quibus tot bella gesserunt, homines proprios vnice ex Slauis ortos esse. IV. in seruitutis duratione: durus etenim seruorum sub Francis status tractu temporis fuisset immutatus, hominum propr. idem, qui ab initio, adhuc esset V. denique in seruitutis asperitate, dum serui aetatis Taciti mitius, Francorum durius, serui denique post Francorum a germanis separationem, benignius iterum hominibus propriis habiti essent. At fateor, primae differentiae ideam sensumque me adhuc fugere, si vero sententia haec sit, vt in eo seruilis differat conditio, si Stichus Caio, et Dauus Mevio pareat, vix centum serui eiusdem indolis hodie reperiuntur, magis hoc argumentum doctiss. aduersario refragatur, cum enim magna Slauorum pars Polonis vendita sit, nulli tamen in ista regione inueniuntur homines proprii; sequitur, quod non omnes ex Slauis orti, qui seruitutem subierunt, homines proprii facti sint. Quid mihi de differentia nominis sentiendum videtur, iam supra exposui: Nec mihi de tertia differentia, ab origine desumpta, constat, germanos enim non solum aetate Carolum M. praecedente, sed et sub illius omniumque eius stirpis successorum imperio, vt et in sequentibus cum Slauis bella gessisse, horumque magnam in seruitutem deduxisse multitudinem, ii tantum, quos omnis rerum germanarum historia fugit, ignorant. Pauca itaque testimonia, quae huic rei fidem faciunt, praeter ea quae iam collegit POTTGIESSER<sup>2)</sup>, profero. Sed vt de bellis Chlotarii et Dagoberti cum Slauis a Samone mercatore

2) POTTGIESSER loc. cit. Cap. I. §. 10.



mercatore instigatis <sup>a)</sup> Carolique M. magnam Slauorum partem in seruitutem abducentis <sup>b)</sup>, taceam, praeprimis hos seruituti maxima ex parte subiectos, Henricus I. an. 876. natus <sup>c)</sup> perdomuit; qui circa an. 926. Wittichindo teste, inuadit Slauos hosque multis praeliis fugatos, pessima clade an. 930. primariis eorum oppidis captis, affecit <sup>d)</sup>; scripsit enim Chronographus Saxo ad eundem annum: *Pugna valida facta est iuxta Albiam, prope Longini, in qua Saxones gloriose vicerunt, prostratis centum viginti millibus, in captiuitatem vero octingentis ductis*, cui HELMOLDVS assentit <sup>e)</sup> neque SIGBERTVS <sup>f)</sup> deest, legique merentur, quae docte memoriae prodidit SPENER <sup>g)</sup>. Quae vero Slauis sub Henrico II. atque Ottone fors contigerit, sua qua pollet eruditione, demonstrauit ill. BOEHMERVS <sup>h)</sup> testimoniisque Wittichindi, Ditmari, atque Helmoldi, corroborauit, praeter ea, quae iam dixit MEIBOMIUS <sup>i)</sup>. Quidam igitur ex deuicta Slauorum gente serui facti sunt, quod ipse auctor §. IVta negare huc vsque non audet, multi etiam hominum prop. vt ex ante adductis patet testimoniis et probationibus, Germanis originem debent, qua itaque quaeso asseri potest ratione, homines propr. vnice ex Slauis esse ortos. Quartam dein nescio, qua causa, doctiss. auctor, adiecerit differentiam, nullo modo ad rem pertinentem, pendentemque ab extrinseco casu statuque reipublicae, homines enim proprii si illis, puto Francorum temporibus egissent vitam, et eorum conditio mutationem aliquam passa fuisset, at cum eorum aetate nulla insignis acciderit seruorum indolis innouatio, et hi in antiqua, quam olim seruiebant, permanferunt seruitute. Dein si rem accuratius perpendimus, ne hoc quidem verum est, nam et Fran-

a) VIGNERII Chron. Burgund. pag. m. 35. et 37.

b) AIMONIUS, vel Annonius de Gestis Francorum lib. IV. Cap. IX. XXIII. et XXVI.

c) STRVV Syntagm. Hist. Germ. Diss. XI. §. 10.

d) WITTICHINDVS Annal. Corbeiens. ap. Meibom. Tom. I. pag. 639. et 40.

e) HELMOLD Chron. Slau. lib. I. Cap. VIII.

f) SIGBERTVS Gemblacens. ad eund. annum.

g) SPENER in Germania med. Cap. IV. §. 1.

h) BOEHMER Diss. de homin. propr. Sect. I. §. 12.

i) MEIBOM. Notae ad Witichindum in Scriptor. rer. Germ. Tom. I. p. 665.



Francorum serui per certum temporis spatium suam retinuerunt naturam atque conditionem, cumque et homines propr. suam continuerunt indolem, cum Francis omni conueniunt tempore, quo horum haud mutatus mansit status, et discrepant tantum in momento inuolutionis. Praeterea, et hodiernis hominibus pr. eadem, quibus ab initio vsi sunt, competere iura et obligationes constanter nego, constituerat enim verbi causa Henricus I. *vt si liber homo seruam suam per duxerit, vel ingenua seruum, proles illa utriusque sexus matrem sequi debeat, non patrem*<sup>k)</sup>; attamen iure Lusatiae marchionatus inferioris, Ord. subdit. Tit. I. soboli patris conditionem adsignat. Sic et nunquam in legibus istius seculi legimus, dominum eguisse consensu serui in eius alienatione, quam tamen ius Lusatiae superioris expresse<sup>l)</sup> requirit. Quod denique ad quintam attinet differentiam, quam auctor §. 1 2. 3. probasse autumat, vix opus est, vt de longa satagamus remonstracione, partim quia et Germanorum et Francorum serui, in propria seruitutis nota id est proprietate, ab hominibus propr. haud decedunt, quaedam vero accidentalialia ipsius rei naturam non inuertunt, partim vero, quod totum hoc argumentum, etiamsi et omnia concederemus, nullam rei affert probationem, sed cum et Friderici imperio veri, quod nemo adhuc negauit, in germania inueniuntur serui, omnis eo redit quaestio: Vtrum germanorum serui ea aetate, qua Slauis penitus deuicti sunt, ea vsi sunt conditione, qua homines proprii hodie seruiunt vel potius seculo XIII. seruiuerunt. Quodsi enim, seruorum seculi XII. et XII. aequalem probauerimus statum, statim apparet, hos veros factos fuisse germanorum seruos, etiamsi postea eorum status quandam passa fuisset inuolutionem. Iam itaque neutiquam de Slauis diuersis praeliis fugatis perdomitisque, qui sine dubio, victorum secuti sunt indolem, legesque, sermo est, sed de plenaria Slauorum subiectione ab Henrico Leone, qui anno Christi 1163. arma, aduersus hos mouit<sup>m)</sup> eosque perdomuit, et Alberto Vrso Marchione Brandenburgico<sup>n)</sup>, Henrico I. Francofurti rege electo an. 1152. et Aquisgrani inuncto, et Romae 1155. dignitate imperatoria ornato, Ottone Frising. teste, Imperante, facta. Sed ne in immensum haec disputatio excresceret cumulum, si singula seruorum iura et obligationes percurreremus, pri-

k) ap. GOLDAST. Collect. Constitut. Imperial. Tom. II. pag. 331.

l) Ordinat. Subdit. Luf. sup. cit. Art. 2. in Corp. Iuris pag. 383.

m) HELMOLD. Chron. Slau. lib. I. Cap. 88. Krantzii Wandalia lib. II. Cap. 44. et IV. 8. Werlhoff Norit. S. R. Imp. lib. I. Cap. II. §. 17.

n) AEPINVS de Conuers. Meckleburg. a Gentilismo §. 33.





primaria tantum collegisse, iuuat. Contrahebatur vero seruitus seculo XII. natiuitate, pacto<sup>o</sup>) matrimonio<sup>p</sup>) et captiuitate<sup>q</sup>). Seculo XIII. idem testatur specul. Sax.<sup>r</sup>) verbis: *Wer sich vor Gericht jemanden zu eigen giebt etc. nec non, mag aber dieser seine Freyheit etc. et proprietatem natiuitas<sup>s</sup>), matrimonium<sup>t</sup>), captiuitasque<sup>u</sup>) inducebat. Imo hodie et in Lusatia<sup>x</sup>) et Pomerania<sup>y</sup>) aliisque locis nascuntur serui, pacto<sup>z</sup>) vero et matrimonio<sup>a</sup>) eam sponte subeunt. Praecipua iura dominis seculo XII. in seruos competentia in alienatione<sup>b</sup>), eorum vindicatione<sup>c</sup>), coercitione<sup>d</sup>), varioque censu exigendo<sup>e</sup>) consistebant, sed et insequenti seculo variae leges atque chartae alienationem<sup>f</sup>), vindicationem<sup>g</sup>), coercitionem<sup>h</sup>), censusque<sup>i</sup>) domi-*

- o) Codex Tradit. St. Emmeram. Cap. 179. 142. 144. 169. et 202.  
p) Charta Adalberonis Archiepiscop. Hamburg. de an. 1148.  
q) POTTGIESSER loc. cit. lib. I. Cap. II.  
r) Specul. Sax. lib. III. Art. 32. Specul. Sueu. Cap. 60. et 70.  
s) Specul. Sueu. Cap. 58. Codicilli Abb. St. Stephani in Herbipol. de An. 1214. ap. Schannat. Coll. I. Vindem. Caesarius Heisterbac in not. ad Registrum Prumiense.  
t) GALBERTVS in Vita Caroli Flandriae comitis. Cap. II.  
u) POTTGIESSER loc. cit. lib. I. Cap. II. §. 113. seq.  
x) Ord. Subdit. Luf. sup. Art. 2. pag. 380.  
y) *Pommersche Bauer- und Schaffer- Ordnung* de an. 1670. Tit. II. et IV.  
z) Specul. Sueu. Cap. 70. *Churfürstl. Brandenburgische Bauer- und Gefinde- Ordnung* de An. 1585. Tit. IV. §. 2. Ord. Subdit. Lusat. sup. loc. cit. Pottgiesser loc. cit. lib. I. Cap. 2. §. 8. et 9.  
a) Ord. Seruil. Rauensberg. Cap. I. §. 12. Ius prouincial. Bauar. Art. VIII. Ord. prouincial. Pruss. de An. 1529. *Churfürstl. Brandenburgische Landes-Ordn.* Tit. VIII. Ord. rust. Pomer. Tit. IV. §. 5. Balthasar. de orig. condit. et Stat. hom. propr. Cap. IV. §. 9.  
b) Codex Tradit. St. Emmeram. Cap. 135. et 160. Brunonis Constitut. de an. 1120. ap. Schannat. Collect. I. Vindem. Constit. Concilii Londinens. II. de an. 1102. Lerbecii Chron. Episcop. Mindens. ap. Leibnit. Tom. II. pag. 178.  
c) Rescript. Innocentii III. ad Adalbert. Epif. Mogunt. de an. 1132. Cod. Tradit. St. Emmeram. Cap. 121.  
d) Diplom. Lotharii de an. 1136. Dipl. Conradi III. de an. 1150. Dipl. Henrici I. de an. 1174.  
e) Codex Tradit. St. Emmeram. Cap. 170. Chart. Fuldens. de an. 1111. et Chart. de an. 1108. ap. Schannat. loco cit.  
f) Specul. Sax. Art. 52. lib. I. Tredit. 27. Chartar. Reinhartsborn. de an. 1237. ap. Schannat. loc. cit. Charta Henrici Abbat. Verdens. Monast. St. Crucis de an. 1279. in Cod. Diplom. Nordgou. de Franckenstein. num. 27.  
g) Chart. de an. 1221. Iohannae Comitissae Flandriae. Ius Sueu. Art. 405.  
h) POTTGIESSER loc. cit. lib. II. Cap. I.  
i) Charta Praesul. Mogunt. de an. 1289. ap. Meibom. Tom. II. pag. 435. Registrum Prumiense ap. Leibnit. Charta Engelberti Archiepif. Coloniens. qui vixit sub Friderico II. vid. Meibom. T. II. pag. 9. et Gelenium in Vit. St.



dominis vindicant. Sed et iure hodierno seruorum alienationem<sup>k)</sup>, dominis varia concedunt iura, de vindicatione §. II. disputavi, de coercionem, quae iam in multis causis iurisdictionis patrimonialis pallium, induit, HEINECCIUS ET BARTHIVS<sup>l)</sup> egerunt, census operarumque rationes, praeter eos, qui peculiare de hac doctrina tractatus ediderunt, eleganter exposuit saepe laudatus POTTGIESSER<sup>m)</sup>. Imo confiteor, me et omni data opera, praeter eam, quam supra in medium protuli, nullam eruere potuisse differentiam, qua serui seculi XII. et XIII. et vix hodierni inter se distarent. Haec itaque, praeterquam quod et hominis propr. vox neutiquam vniuersaliter, sed promiscue cum seruorum mancipiorumque nomine, seruis adhibita fuerit, contra hunc virum doctrina celeberrimum, quem magni aestimo, monenda visa sunt.

## §. XI.

*Conciliata Thomassini atque Estoris, de origine vocis hominis proprii sententia, libellum finitur.*

Reliquum denique est in originem vocis hominis propr. inquirere, at non opus est noua explicatione, cum omnem rem iam summo ingenio doctrinaque perfecterunt THOMASIVS<sup>n)</sup>, POTTGIESSER<sup>o)</sup> ESTOR<sup>p)</sup> et GVNDLING<sup>q)</sup> sed contendunt inter se Thomassinus et Estor: nostri itaque erit officii, hos secum conciliare, cum vtrique recte sentiant. Nam antiquo iure, vilioris generis homines, homines dicebantur, Clerus, seruorum vocem aspernans et ita seruos appellari voluit, cum vero et saepe ministeriales dicerentur homines, opus erat vocabulo, quod hos ab illis discerneret<sup>e)</sup> et haec mihi esse videtur vera huius appellationis origo. Sed vt et fidem supra datam liberarem, vsunque nostrae tractationis hodiernum demonstrarem, ratio suadet, at doctis semper inuisa clepsydra et nostro libello finem imponit, meque hunc, si fata me seruent, singulari disquisitioni reseruare iubet. Benigni itaque B. L. accipias animo, hunc fugituum, pariter elegantia ac eruditione destitutum laborem, cuius auctorem, nisi aetas temporumque angustiae, librorum tamen inopia, qua maxime laborauimus, excusabit. Ceterum cum saepe in haecenus traditis a communi sententia recesserimus, nulla tamen alia commoti ratione, quam quatenus legum rationes argumentorumque pondera id exigebant, a lectoris dexteritate tale nobis pollicemur de nostris conatibus iudicium, quam de suis laboribus exoptat.

## S. D. G.

St. Engelberti. Specul. Sax. III. art. 32. Chart. ap. Goldast. Script. rer. Alleman. T. II. p. 27. num. IV. et V.

k) Ius prouinc. Bauar. Tit. IV. Art. 3. Ord. Osnabrug. Cap. III. §. 14. Ord. Subdit. Lusat. Sup. in Corp. Iur. pag. 383.

l) HEINECCIUS de indole Idict. patrimonial. Barth. diff. de Iurisdictione quam personae illustres per Institiarios exercere solent.

m) POTTGIESSER loc. cit. lib. V. Cap. I. §. 38. seq.

n) THOMASSINVS de disciplin. vet. et nouae Eccles. Part. II. lib. I. Cap. 74.

o) POTTGIESSER l. c. lib. I. Cap. IV. §. 8. lit. c. §. 55. lit. c. §. 56.

p) ESTOR de Ministerial. Cap. II. §. 81. pag. 114.

q) GVNDLING Gundling. Part. X. num. 3. §. 20.

r) BOEHMER de hom. propr. Sect. I. §. 15.





